ANNALES

ACADEMICI.

CIƆIƆCCCLXIV—CIƆIƆCCCLXV.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO
I. C. DRABBE.

PROSTAT APUD
E. I. BRILL.

1869.

Quae hoc Annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. VIII FEBR. A. CIƆIƆCCCLXIV AD D. IX FEBR. A. CIƆIƆCCCLXV

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

HIDDO HALBERTSMA IUSTI F.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

CAROLUS GABRIEL COBET.

IN FACULTATE MEDICA.

H. I. HALBERTSMA.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN, rude donatus.
G. C. B. SURINGAR.
F. G. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS.
I. C. G. EVERS.
I. M. SCHRANT, fato functus d. 18 Martii.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. COCK, rude donatus.
I. DE WAL.
S. VISSERING.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.
I. E. GOUDSMIT.
I. T. BUIJS.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, rude donatus.
I. H. SCHOLTEN.
A. KUENEN.
I. I. PRINS.
L. G. E. RAUWENHOFF, Prof. extraord.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. I. VERDAM.
F. KAISER.
P. L. RYKE.
W. F. R. SURINGAR.
D. BIERENS DE HAAN.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. BAKE, fato functus d. 26 Martii.
I. M. SCHRANT, rude donatus.
A. RUTGERS.
I. H. STUFFKEN.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY.
M. DE VRIES.
R. FRUIN.
W. G. PLUYGERS.

I. I. P. HOFFMANN, titulo Prof. ornatus.
P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord. ornatus.

I. A. BOOGAARD, Prosector in Theatro anatomico.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector Litt. Germ.
P. DE JONG, Lector Litt. Pers. et Turc. et Adiutor Interpretis Legati Warneriani.
F. VAN CALKER, in Museo physico Adiutor.
C. C. I. TEERLING, in Museo chymico Adiutor.
N. M. KAM, Observator astron.
M. I. DE GOEJE, Adiutor Interpretis Legati Warneriani alter.

ORATIO

DE

IIS, QUAE ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE ANNO 1864—1865 TRISTIA ET LAETA ACCIDERUNT,

QUAM HABUIT

HIDDO HALBERTSMA IUSTI FILIUS,

DIE VIII FEBRUARII CIƆIƆCCCLXV,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Est hoc unicuique disciplinae proprium ut in progrediendo non unum semper et eundem cursum teneat, sed modo in hanc partem, modo in illam a recto itinere deflectat. Habet hoc Medica quoque disciplina, ut eius cultores, alii alia systemata et theorias secuti, in diversa discederent, donec tandem intellectum est sic demum disciplinam recte procedere posse, si certa et explorata inquirendi methodus constitueretur, et satius esse pauca certo scire, quam temere plurima, quae incerta essent, amplecti.

Etsi verum est proxima memoria multos medicos illam, quam unice probamus, viam ingressos esse, at nemo tamen infitiabitur, esse alios qui hanc viam nimis longam esse querantur, et adeo cum nova methodo bellum gerant vociferantes, illa via post saecula demum quo ire contendimus perveniri posse. Si illis credimus, oportet medicinam practicam suam ipsius ire viam, neque in eo cursu impediri a disciplinis biologicis, quarum nomine imprimis et Anatomia et Physiologia, quam late patet, significantur.

Exspectatis fortasse a me, ut ex hoc loco bellum, quod inter Biologiam et Medicinam Practicam oritur, indicam, et pugnam capessam, et criminationes a Practicis in Anatomiam et Physiologiam coniectas strenue et acriter refutem. Nihil horum faciam. Bellum si quod gerendum est, vel potius si diversae sententiae ponderatis expensisque argumentis componendae sunt, non hodie, non ex hoc loco, non a Rectore Magnifico sunt componendae. Quod verum est praevalebit non acribus dissentientium litibus aut clamoribus, sed seria et gravi inter peritos harum rerum disputatione. Longa dies et usus rerum, salva ea benevolentia quae inter eiusdem disciplinae cultores multis nominibus necessaria est, quae sit sen-

tentia verior aliquando luculenter omnibus demonstrabit. Accedit quod tanta est rerum, quas mei officii est hodie publice in deponendo munere commemorare, copia et varietas, ut mihi necesse sit statim ad illam officii mei partem transire et solemnem orationem, qua laetum diem natalem quotannis celebrare solemus, totam ponere in rebus superiore anno apud nos actis, quae quum multae ac variae fuerint, ut fert humana natura, alia tristes et acerbae, aliae laetae et iucundae nobis acciderunt.

Nihil autem nobis acerbius et calamitosius accidit, quam quod duo Academiae lumina morte amisimus, Duorum collegarum obitum lugemus, quorum mortem una nobiscum lugent omnes, quibus cara est nostra alma mater, quibus praeclara studia et sana ac solida eruditio cordi est. Haeret in animis nostris omnium memoria, haeret in oculis imago Schrantii nostri et Bakii, quos brevi intervallo pia mente moesti sepelivimus, ea frequentia omnium, eo animi affectu, ut vel ex ultimis honoribus appareret, quantam iacturam fecerimus, et quantopere carum collegam, amicum, praeceptorem unusquisque desideraret.

Conabor igitur, quantum meae vires patientur, utriusque praeclarissimi viri et vitam breviter describere et merita erga studia, erga Academiam nostram, erga totam hominum societatem in luce ponere.

Iohannem Matthiam Schrant priorem amisimus. Hagae comitis natus et educatus et puerili disciplina ad Academica studia primum informatus mature Lugdunum Batavorum migravit. Agebat annum aetatis decimum quintum, quum parentes relicta patria in colonias nostras Orientales proficiscerentur, et ipse se ad patruum, cognominem sibi, contulit, venerabilem virum nobisque collegam multis nominibus spectatissimum, quem parentis instar colebat et diligebat. Apud hunc, in cuius aedibus totum vitae Academicae spatium explevit, peregit illa studia, quibus ad institutionem Academicam paratus accessit, usus in illa re privata institutione clarissimi Mahnii, quem optimum collegam magni faciunt qui nostrum sunt aetate grandiores et viri tam docti quam candidi amicitia olim sunt usi.

In stadio Academico Schrantii animum alliciebant potissimum studia physica et botanica, quae et propter ipsorum praestantiam illum tenebant, et quia egregium in modum ad inflammandos iuventutis animos ab Uylenbroekio et Reinwardtio docebantur. In quibus quum aliquantum profecisset, imprimis studium et operam collocare coepit in Sandifortii demonstrationibus anatomicis, et Iohannis v. d. Hoeven, et fratris Pruys v. d. Hoeven et Broersii et Suringarii lectionibus, unde iecit fundamenta studiorum, in quibus postea vitae tabernaculum posuit, quorum primitiae iam cernebantur in Dissertatione quam, *de congestionis mechanismo et de inflammationis notione* conscripsit, qua defensa summos in Medicina honores summa cum laude adeptus Amstelodamum se contulit, ubi per annos septem peritissimo viro Schneevoogt additus in Nosocomio extraneo omnibus medicae artis officiis muneribusque perfunctus est.

Hinc in nostram civitatem eandem artem exerciturus se recepit, ubi mox Pathologiae generalis et Clinices Professor creatus duos ultimos annos brevis aevi in Academicae iuventutis institutionem impendit.

Inter eos, qui disciplinas feliciter excoluerunt, primarium Schrantius obtinebat locum. Sine controversia fuit ex iis, quibus in patria nostra excolendae Medicae artis nova ac melior methodus et toto coelo ab antiquiore diversa debeatur. Hoc agebat imprimis, ut quidquid pro vero acciperet certis ac solidis scientiae fundamentis niteretur, et haberet certam et exploratam fidem certis observationibus fundatam. Postquam nova lux ex Rokitanzkii laboribus clara affulsit, inter primos Schrantius ad hanc novam lucem studiorum suorum rationem dirigere coepit eundemque cursum tenere. In vasto Nosocomio Amstelodamensi abunde erat ei facultas et copia experiendi per semet ipsum, ecquid veri ac certi nova disciplina Vindobonensis attulisset. Non minus quam mille ac ducenta cadavera aut ipse secuit aut secta vidit, idque eo erat illi fructuosius, quod quorum morbos ipse curasset et observasset, eorum defunctorum corpora exactissima cura explorare potuit. Ex ipsa rei natura quum eadem via ordine progrederetur, et veteribus inventis nova semper adderet, factum est ut Skodam amplecteretur et in morborum natura dignoscenda, imprimis in pectoris organis, methodum physicam sequeretur. Huc accedebat quod Schrantius diligentissime microscopio utebatur, non tantum ut sic morbo-

rum diagnosin certiorem efficeret, sed etiam ut physiologicae disciplinae fines eo adminiculo propagaret, id quod abunde libri ab illo editi demonstrant.

In his omnibus illud maximam admirationem movet, quod Schrantius in illis disciplinae partibus, quas tanto ardore colebat, nullis usus est magistris, sed plane fuit *αὐτοδίδακτος*. Inspicere defunctorum corpora, stethoscopum recte adhibere, plessimetro, microscopio scienter uti, ea omnia Schrantius ex semet ipso debuit addiscere et ex librorum praescriptis colligere. Quantum hoc sit nemo facile ex iusto aestimaverit cui contigit ea sic discere, ut oculis suis ea omnia scienter facientem et praeeuntem spectaret.

Una res Schrantio deesse videbatur. Adhuc artem medicam ita exercuerat ut intra unius Nosocomii quamvis vasti fines contineretur, neque per omnes civium ordines cognoscendi et observandi sollertiam experiretur, sed hoc quoque quod solum deerat expletum est. Venit Lugdunum Batavorum Schrantius, ut etiam alio modo prodesset. Venit magna praeeunte fama, et brevi magna civium copia ex omni ordine spem ac fiduciam in illius arte habuit positam, unde eo profecit ut medicus evaderet omnium rerum peritissimus. Sensit illius rei incommoda quoque et molestias. Didicit accommodare sese et obsequi iis, qui quum domi suae aegrotent, non semper esse soleant medico dicto audientes, et nihil minus imitentur quam illam disciplinam, quae in Nosocomiis morborum curationem aliquanto faciliorem reddit atque expeditiorem.

Etiam in hoc vitae genere tam exercito et tam occupato Schrantius caram sibi disciplinam colere non destitit. Testantur libri illo tempore ab eo in lucem editi, testantur lectiones de diagnostica physica, quas rogatu viri cl. Pruys van der Hoeven in Nosocomio Academico in studiosorum usum habuit.

Itaque tanta praeditus doctrina, tanta instructus experientia, quam multi illi paene inviderint, et informatus tot aegrotantium ex omni ordine consuetudine et usu Schrantius cathedram a clarissimo Pruys van der Hoeven relictam conscendit. Quis mirabitur senem venerabilem successore suo gloriatum esse? Datus ei Schrantius successor studiis et laboribus eius imponebat coronam.

Si quis alius, Schrantius muneris Professorii pondus sentiebat et officia noverat. Intelligebat hoc sibi negotium esse datum, ut suam doctrinam in discipulos transfunderet, et qualis esset ipse, tales illos quoque efficeret, id est Medicos certa et explorata scientia nitentes. Hinc illi in docendo vis quaedam et fiducia et ardor natus est, hinc pabulum et delectatio animi maxima.

Docendi methodus, qua utebatur, imitatione erat dignissima. Hoc agebat ut ante omnia morborum, quos quis sanandos susciperet, imago quaedam omnibus numeris expressa mente formaretur, antequam adhiberentur medicamina; sed multum aberat ab eorum ratione, qui omnia ad nihilum recidere opinarentur. Numquam obliviscebatur boni medici esse bonam valetudinem et praesentem scienter conservare, et amissam scienter revocare, vel, ut nihil aliud, saltem lenire dolores, et mitigare laborem, et etiam illic, ubi certa doctrina definire non possit quis sit nexus et copula inter symptomatum et medicamentorum naturam, agere aliquid, ubi docuisset experientia aliquid ad aegrotantium emolumentum agi posse.

Prorsus in his omnibus Schrantius discipulis viam praeibat. Nolebat servilem in modum sibi imperanti obtemperari in tanta ingenii moderatione et modestia. Contra ab omnibus, quicumque essent, discere aliquid et meliora accipere lubentissime solebat. Nolo praeterire silentio id quod in illo admirabile et mihi honorificum est. Haud ita multo ante mortem, quum se etiam valere sentiret, mihi significavit, esse sibi in animo lectiones de physiologia meas frequentare, quam artem et quantivis pretii in medicina praedicabat esse, et sibi non satis spectando et experiendo cognitam.

In consuetudine discipulorum non erat Schrantius truculentus magister, sed familiaris amicus, et multi ex iis experti praedicabunt quam fructuosa sibi illa consuetudo fuerit. Praedicant quam lubenter soleret diligentissimum quemque comitem sibi adiungere in visendis aegris, ubi aliquid memorabile cognoscere possent. Cum illo magis quam sub illo specimina conscribebant, et saepe in intimam vitae domesticae familiaritatem admissi hospitaliter excipiebantur.

Itaque gravissimo luctu affecti sunt in repentina morte praeclari praeceptoris, qui tam brevi vitae spatio usus (nam quadragesimum secundum

annum aetatis agens raptus est) tot exegerat labores et tam brevi docendi provincia sibi animos omnium conciliaverat.

Testimonio esse possunt ea verba, quae ad tumulum facta sunt tenerrimo animi affectu ab eo, qui primarium inter condiscipulos locum tenebat. Graviter omnium animi commoti sunt quum patrem senem, patruum venerabilem, luctu confectos in oculis habentes et ingentem collegarum et discipulorum et amicorum coronam, audirent eorum verba, qui optimum collegam, optimum praeceptorem, candidissimum amicum, virum per omnia praeclarum deflerent amissum. Pio animo servabitur ab omnibus illius memoria, qui omnibus utilis, omnibus carus et vixit et mortuus est.

In communione vitae Schrantius erat perhumanus et ad obsequium paratus. Non erat multi sermonis, et ita educatus ut in intima suorum familiaritate magis quam in hominum celebritate delectationem animi quaereret. In sermonibus, quamquam ut plurimum gravis erat et serius, tamen saepius salis inerat aliquid et facetiarum. Neque dubito quin, si illi vita longior obtigisset, futurum fuerit, ut ad maiorem hilaritatem animum relaxaverit. Quum esset curis solutus et res familiaris facta esset lautior, praesertim quum ab aquis nuperrime rediisset, coeperat plus delectationis ex hominum consuetudine capere et vitam agere paulo iucundiorem. Sed aliter fata voluerunt. Repente in morbum implicitus quum aliis salutem cum suae salutis periculo afferre studuisset, dum aliorum vitam servat amisit suam, et desiderat hominum societas bonum civem, desiderat Academia decus et praesidium, desiderant propinqui et affines delicias suas et ornamentum.

Nondum sedato luctu, quem ex Schrantii obitu ceperamus, fama tulit Bakium nostrum graviter aegrotare, mox palam factum est Bakium vita esse functum, et Academiae decus et ornamentum in paucis eximium esse amissum. Exspectatis a me, ut viri clari et omnibus cari et delecti memoriam nunc vobiscum recolam. In qua re ultro fateor me vehementer angi et animo commoveri, meque virium mearum, ut in nulla alia re, admodum poenitere. Quis enim est, qui Iohannem Bakium satis digne celebrare possit, et eximias viri virtutes et singulares ingenii animique dotes ita exponere, ut vobis satisfaciat, ut satisfaciat sibi ipsi? Ad Bakium laudandum ipso Bakio laudatore opus fuerit, id est viro tam acuto

et ingenioso, quam facundo et diserto. Sed quis a medico, qui in sua arte in diem latius excrescente toto animo semper occupatus est, tantam rem sustineat postulare? Ego ut Bakii laudes oratione celebrem! merita in litteras aestimem, doctrinae monumenta ponderem, acumen et sollertiam subtilis ingenii variamque et multiplicem eruditionem exponam! Nihil est a mea persona alienius. Fecerunt hoc alii et facient, qui ex Bakii disciplina profecti et in intimam Bakii amicitiam recepti, quidquid erat in illo viro magnum et insigne et admirabile, agnoscere et enarrare omnium optime possunt. Meum quid sit in huius diei solemnitate facere, dicam. Bakii vita fuit, ut ita dicam, bifariam divisa. Pars transacta est in litteris, in eruditis studiis laboribusque omne genus. Reliqua pars vitae fuit publica, ad communem omnium utilitatem, ad patriae commodum, ad huius civitatis emolumentum comparata. Habebat hoc Bakius ut omnibus in quacunque re prodesse et vellet et posset. Sic factum est ut Bakium admirarentur omnes, etiam illi qui litterarum praestantiam et suavitatem per se ipse agnoscere non possent, sic factum est ut Bakium omnes diligerent et amarent etiam illi, qui ab eius consuetudine et familiaritate procul abessent. Quod in illo Bakio omnes amavimus et admirati sumus, quod ego ipse in illo suspexi et dilexi, id dicam, vos omnes, qui eum aut perinde aut melius noveratis, si quid erit a me praetermissum, tacita cogitatione supplebitis.

Usus est Bakius vita longa et tranquilla et felici; nullas fortunae vicissitudines, nullos casus acerbiores expertus, exeunte mense Martio anni superioris quum annos sex et septuaginta natus esset, excessit e vita.

Totum hoc aevi spatium in hac nostra civitate transegit. Hic natus et educatus et eruditus ex celeberrima Wyttenbachii disciplina profectus primum aliquamdiu in ludo litterario litteras antiquas adolescentes docuit. Mox ipsi Wyttenbachio, qui nullum habuit Bakio discipulum praeclariorem, datus successor illam Spartam cum omnium plausu ornavit. Denique ad metam pervenit legibus constitutam, et in illo otio, ut solebat, occupatissimus, quum nova doctrinae et acuminis monumenta conderet, ex vita tranquilla et beata placide ad beatiorem excessit, omnibus flebile desiderium sui relinquens et caritatem et amorem et memoriam duraturam. De hujus viri igitur virtutibus dicturus semper meminero, neminem magis

quam Bakium ab ambitiosa laudum suarum praedicatione fuisse alienum. Si quis alius, Bakius intelligebat virtutem inter duo opposita vitia medium locum obtinere, et aequabiliter per totam vitam id agebat, ut in nulla re modum excederet.

Coniungebat feliciter Bakius sapientiam cum incredibili lenitate ingenii. Itaque, quamquam erat mitis et lenis et moderatus, quia idem erat sapiens, effugiebat multitudinis contemtum, et quamquam erat sapiens caeterosque fere omnes prudentia superabat, quia idem erat mitis, evitabat hominum mediocrium invidiam. Inerat in Bakio comitas, inerat multa hilaritas, et quis non meminit quantopere cum Geelio suo Bakius in sales ac iocos effundi soleret? Quis non meminit, qui lepores, quae urbanitas, quae dicacitas in Bakio fuerit, sed ea dicacitas, quae sic feriebat animum ut neque pungeret neque morderet. Quis erat illo veritatis amantior, iusti et aequi tenacior, quis vita integrior? quas virtutes dotesque obtegebat magis quam ostendebat. Bonus esse quam videri malebat. Nemini se anteponebat: si quos iuvabat fremere aut clamare, Bakius premebat vocem, ultro cedebat de via. Fieri potest, ut nonnumquam nonnullorum insaniam in sinu riserit, aliquando salsa et Attica ironia ineptias aliorum compresserit, sed inerat semper in illius animo candor, et insaniam et ineptias hominum lenissime ferebat.

Prudens consilium rogatus dabat, non rogatus nemini obtrudebat, omnium minime se rebus alienis inserens aut interponens.

Quam multa possem harum virtutum argumenta proferre, partim omnibus nota, partim intimis amicis non ignota. Proferam unum et alterum. Vivimus in civitate optimorum et doctissimorum virorum plena, sed eadem civitas est nescio quomodo acris et pugnax, et bella ex bellis serere solet. Semper apud nos certamen aliquod est aut contentio. De sacris, de profanis, de quibusdam aliis pugnantes arma numquam de manibus deponimus. Quid Bakius? Pacis auctor semper inter belli turbatores, otium, quietem, concordiam laudabat, commendabat, omnibus modis augebat et confirmabat. Quoties privatas offensas vel offensiunculas prudenti consilio sanavit. Quoties publice pacem et concordiam aut restituit aut conatus est restituere. Quoties res turbidas composuit, et aliorum vitio vel cupiditate impeditas sollerter expedivit. Ex quibus rebus nihil aliud sibi

quaerebat quam recte factorum conscientiam. Quae umquam res utilis aut salubris aut in commune omnibus profutura non habuit Bakium vel auctorem vel adiutorem tam sollertem et prudentem, quam industrium et indefessum?

Quid ego alia commemorem, quae omnes vidimus aut etiamnunc videmus. Si dixero ad coelum usque et stellas Bakii merita pertingere, quis contradicet? Num putemus illam speculam astronomicam, absque Bakio fuisset, in tanto multitudinis torpore et inertia exaedificari potuisse? Nemo id nescit, et tu ante omnes, clarissime Kaiser, id grato pectore agnoscere soles et diserta oratione post Bakii mortem professus es. Quaerebatne sibi ex ea re Bakius laudem aut gloriam? Ne gratum animum quidem, sed ut rem utilem et patriae profuturam adiuvaret, id tantum spectare solebat. Quam copiose dicere possem de singulari ardore et studio, quo Bakius amicos, et interdum etiam non amicos, ex laboribus et angustiis et aerumnis liberaverit, et nonnullis ex rebus fere desperatis salutem attulerit. Sed plura de his dicere me prohibet ipsius Bakii reverentia, qui haec, si ipse adesset, non lubenter audiret. Illud potius commemorabo, quod Bakii veteres discipuli et collegae iuniores uno ore praedicant, nullam rem Bakio fuisse gratiorem, quam generosae iuventutis ingenia fovere, quoscumque ad laudem adspirare vel adspirare posse intellexisset. Habuit autem discipulos memores et gratos, idque in magna suae felicitatis parte ponebat. Apparuit quum muneris Academici octavum lustrum conderet et agmen veterum discipulorum, nobilissimo Groen van Prinsterer facundo ore verba faciente, dilecto praeceptori et congratularentur illum diem, et quantum illi deberent grati praedicarent. Nempe Bakius non tantum eruditis litterarum studiis teneros animos imbuerat, instillaverat idem laudis et virtutis amorem, bonos viros fecerat, bonos cives fecerat, et tulit hunc vitae fructum, ut optimi viri, optimi cives sibi semi gratias agerent.

Apparuit iterum quum munus Academicum depositurus rogatu plurimorum, qui ad ultimam Bakii lectionem audiendam confluxerant, descendit in hoc ipsum auditorium et Ciceronis locum interpretatus ita docendi munus deposuit omnibusque valedixit, ut dubitares utrum magis tenerum animi affectum et candidi pectoris modestiam, an incredibilem festivitatem et leporem optimi viri admirareris. Ubi dicendi finem fecit, audivit ex

discipulis, Cobeto pro omnibus dicente, quanti eum facerent. Scilicet omnium nascentem laudem adiuverat auxeratque et in lucem ac celebritatem produxerat. In quocumque inerat egregia ad studia indoles, is Bakio carus erat et acceptus; pro eo elaborabat, si quid auctoritate, si quid gratia ubique valeret. Bakio suffragante optimus quisque ad summa quaeque provehebatur. Poscebatne gratiam sibi eo nomine haberi aut referri? Ne exspectabat quidem, neque enim in ea re homini se gratificari existimabat, sed studiis litterisque, sed Academiae, sed patriae se prodesse sciebat. Addebat his omnibus illam eximiam et prope singularem laudem, ut suae quemque naturae semina sequi iuberet et, ut ipse crebro usurpabat, *suum* quemque *esse* volebat. Non ille studiorum genus, in quo excellebat, aut anteponebat aliis, aut discipulis commendabat. Hoc unum praecipiebat, ut unusquisque *suus esset* et suae ipsius rationis et iudicii momentis uteretur, non alienis. Qui novam viam reperissent aut quaererent, non ipsi sibi magis quam Bakio placebant. Intentus erat in hoc unum, ut utile et frugiferum esset, quod quisque studium sibi prae caeteris excolendum delegisset.

Profecto Bakius, et quicumque vivit Bakio similis, disciplinas Biologicas cum Medicina practica in stabilem pacem et concordiam adduxisset. O felicem Academiam nostram, si quam plurimos Bakio similes Professores habitura est! Etiam quod habuit unum Bakium felicem esse praedicamus. Nam quidquid in Bakio amavimus, quidquid mirati sumus, manet et mansurum est in animis nostris, et Bakii laudes nemo melius quam aemulatione decorabit.

Curatores, viri amplissimi, fuistis feliciores quam nos, quod neminem ex vestro numero mortuum desideratis. Gaudemus multum vos studio indefesso ea omnia agere, quae Academiae nostrae vel honori sunt vel emolumento. Gaudemus te, Nobilissime Gevers van Endegeest, ex gravi morbo restitutum, impigre, ut soles, tuis muneribus fungi. Te, amplissime Siegenbeek, gaudemus ab augustissimo Rege prorogatam habere illam potestatem, propter quam et civitas haec te Rectore et haec Academia te Curatore gloriatur.

Gratulamur nobis, Nobilissime Metelerkamp, sedem diu vacuam a te nunc esse occupatam neque opus esse arbitràmur Academiam Lugduno-Batavam tibi disertis verbis commendare. Satis scimus in te eundem animum ad ornandam hanc almam Musarum sedem esse futurum, quem in collegis tuis esse experti novimus. Hoc unum addimus, optare nos fore ut tu diutius quam tuus antecessor, ad alios honores ab hoc honore avocatus, officium hoc Curatorium retineas et ornes.

Doluimus Schrantium et Bakium amissos, sed grato pectore cernimus tot alios vita et valetudine integros sui muneris officia industrie peragentes. Gratiore etiam animo laetamur nobis superesse venerabiles senes, van Hengel, Schrant, Pruys van der Hoeven, defunctos quidem laboribus publicis, sed eosdem sedulo et impigre in studia sua intentos.

Non possum non te praesentem compellare, praeclarissime van Hengel, quem lubentissime omnes videmus aetate senem, sed mentis vigore virum et animi alacritate iuvenem. Utinam tibi Deus eundem vigorem, eandem alacritatem producat, et sic ipse gaudeas tibi aetatem quoque produci, nobis omnibus iunioribus in vitae bene agendae exemplum.

Speraveramus eum praesentem videre, qui nunc primum in eorum numero est, quibus officio Academico defunctis licet in otio cum dignitate vivere, clarissimum Cock.

Gratulamur absenti, quod otium nactus est, in quo suo arbitratu erit negotiosus, nam dignitati viri clarissimi, quae semper maxima fuit, novum additamentum accedere non potest.

Vobis omnibus, dilectissimi collegae, qui mihi tam comiter, tam benigne, tam prudenter in gerendo munere Rectorio subvenistis, palam ex intimo pectore ago gratias. Duo sunt in vestro numero, quibus obtigerunt honores, quorum splendor in ipsam Academiam nostram redundat.

Clarissimo Rijke obtigit, ut eum Rex augustissimus allegerit in numerum eorum, quibus consiliariis extraordinariis uteretur. Satis tantus honos cum insignibus ordinis Equestris in eum collatis declarat, eum Regis iudicio optime de patria meritum esse. Eo pluris hoc facimus, quoniam

ille simul de tota patria optime meretur, simul officio Professorio optime fungitur. Constat enim inter omnes, illos esse illius institutionis fructus, ut illo doctore Academia glorietur. Utinam viro clarissimo suppetant valetudo et vires, ut diu pergat esse Academiae decus et ornamentum.

Tibi, Clarissime Cobet, singularis contigit honor. Universitas enim Cantabrigiensis diploma tibi decrevit doctorale, quod una tecum accepturi erant Princeps Cambriacus, Nobilissimi Palmerston et Bulwer Lytton. Tu vero, eum bene vixisse qui bene latuerit ratus, Cantabrigiam te conferre ibique in magna hominum celebritate victor coronari recusasti. Noli tamen credere propterea minus gratam et honorificam nobis esse hanc dignitatis accessionem. Sicuti legio tota gloriatur corona a legionario parta, sic nos eximium hunc honorem, meritis tuis debitum, ipsi Universitati nostrae concessum esse ducimus.

Laeti vos, novi collegae, clarissimi Buys et Evers, in nostrum numerum recepimus. Dudum te novimus, clarissime Buys, qui alio munere in hac civitate fungens multorum tibi amorem et caritatem conciliasti. Quum a nobis discederes multos non fugiebat brevem illum discessum futurum, et recordaris, sat scio, me quoque in illis fuisse, qui absentiam tuam a nobis non fore longam augurarentur.

Recuperavimus te et ita recepimus, ut omnes intelligerent quanti te faceremus. Compertum est omnibus vel ex praeclara oratione, qua docendi provinciam suscepisti, antecessori tuo neminem alium successorem digniorem dari potuisse quam tu es.

Etiam tuus adventus, clarissime Evers, nobis gratus accidit. Quamquam novis collegis minus notus tamen expertus es novo amico apud nos esse locum. Fortiter tu et strenue ex hoc ipso loco animi tui intimam persuasionem expromsisti et palam fecisti quae tu in hac veluti militia signa sequereris. Si ego alia signa sequor, noli, quaeso, existimare eam sententiarum diversitatem dirimere illam necessitudinem, quae Professores omnes inter se coniungit. Nihil est aliud quod in disciplina et excolenda et docenda quaerimus, quam sine cupiditate id quod verum est indagare, et libero ore id quod sentimus proloqui. Si forte erramus, dabit unusquisque errori veniam, quia constabit nos bona fide et candide erravisse. Unus-

quisque semper memento id, quod in historia disciplinarum quaelibet pagina docet, nos tentabundos et cadibundos et ex aliis atque aliis erroribus resipientes tandem aliquando ad verum pervenire, et eorum dissensiones, qui ad verum quaerendum in diversa abeunt, ad reperiendam veritatem semper valuisse plurimum.

Vos quoque, clarissimi Roorda, Veth et Pynappel, lubentissime in nostram amicitiam recepimus, et nobis gratulamur vestrum in hanc civitatem adventum et in excolendis disciplinis vestram societatem et communionem. Quamquam enim Academiae Lugduno-Batavae pars non estis, nihilominus illam institutionem, cui vos praeestis, nobis novum emolumentum et ornamentum esse omnes intelligimus. Porrigimus vobis dextram et in intimam familiaritatem vos recipimus, optime scientes arctissimam natura esse necessitudinem inter omnes disciplinas, et propterea inter omnes, qui illas excolunt, eandem necessitudinem interesse oportere.

Qualis inter vos et nos est mutuae benevolentiae copula, tale esto inter patriam nostram et colonias nostras amoenissimas et florentissimas vinculum. Quod vobis agendum est, nobis praeclarum admodum esse videtur, et profecto, si quantae sunt in vobis animi ingeniique dotes, tantos vestra institutio feret fructus, de vestra schola praeclara omnia certa spe exspectare licebit.

De apparatu et supellectile institutionis Academicae pleraque laeta et iucunda referenda habeo, et si quis volet praesentem statum cum superiore comparare, quantum eo nomine Curatoribus debeatur gratus agnoscet. Plus enim novi conditum et exaedificatum est his decem annis, quam toto saeculo praecedente. Accedit quod nova aedificia ita exstruuntur ut ad eum usum, cui sunt destinata, diligenter accommodentur, neque monasterium in auditorium, aedes sacra in theatrum anatomicum, orphanotrophium in nosocomium utcumque refingatur. Quis non delectatur animo, ubi post brevem absentiam urbis nostrae portas, quae mox portae esse desinent, ingressus, ubique omnia urbis florentissimae indicia animadvertit, et fulgentia spectat aedificia, qualis est specula Astronomica et quae ad Physices et Chymiae et Anatomiae usum sunt comparata et ornata et in

amoeni horti modum frondibus sempervirentibus circumdata, quod tamquam omen et augurium sit disciplinas quoque laete crescere et florere.

Non tantum Physica et Chymia Museis suis fulgentibus gaudent, habent quoque viros peritissimos, quorum opera Physices et Chymiae Professores utuntur. Ad maiora vocatis viris doctissimis, Modderman et Levoir, ad illorum successionem vocati sunt eruditissimi Teerlink et van Calker, quibus optime merentibus hanc procurationem delatam esse inter omnes harum rerum peritos satis constat.

De nonnullis dicam paulo copiosius, ut intelligatur in prospero et laeto statu plerorumque superesse tamen nonnihil, quod correctum et emendatum velis. Concipio aliquam spem animo futurum esse, ut illa incommoda, ubi semel palam facta sint, aliquando tollantur, et sic me operae pretium facturum confido.

Quoniam Herbarium Publicum angustis finibus, quibus adhuc circumscribitur, recte contineri non poterat, placuit plasticae et graphicae artis thesauros, in iisdem aedibus asservatos, transferre in illas aedes, quibus antehac clarissimus Kaiser utebatur. Olim consilium fuerat has ipsas aedes ad studiorum usum accommodare, et nova in iis auditoria comparare. Sed ea spes frustra fuit fefellitque omnes, quibus erat exoptatum auditoria, quantum eius fieri potuisset, ex privatis aedibus sublata in unam communem et commodam et spatiosam sedem contrahi.

Fieri potest tamen, ut illa exspectatio non tam elusa, quam in aliud tempus dilata esse videatur. Fieri potest ut illis, in quorum manu et potestate est summa rerum Academicarum, placeat aliquando ponere vastum aedificium Academicum, intra cuius ambitum auditoria omnia coniungantur. Quanto hoc omnium plausu et laetitia futurum esse censeamus! Desinet sic studiosa iuventus huc illuc ex aliis in alia auditoria trepidare, et saepius in illa trepidatione a recta via deflectere, et in scopulis haerere, et in brevia delabi, et in portum denique non pervenire. Desinent aliquando Academici doctores includi et impediri auditorii angustiis aut tenebris aut incommodis omne genus. Emergent sic omnes et altius evolabunt.

Cur ego non palam votum concipio, quod dudum a multis animo est conceptum, fore, ut tertia saecularia, quae instant, etiam hac de causa

festa ac laeta sint, quod videbunt novum disciplinarum templum, dignam studiis Academicis sedem, solemni modo dedicari. Nimium diu Minerva sedem se indignam habere coacta fuit, tempus est ut ipsius splendori et honori etiam illo modo melius consulatur.

Iucundiore animi sensu afficior dicturus de alia communi Musarum sede, quae omnibus cuiuscumque disciplinae cultoribus cara est, Bibliothecam dico Academicam.

Bibliotheca post translatam alio suppellectilem omnem anatomicam primum spatio aucta, deinde tam perite et sollerter ad usum aptata, tam decore et eleganter ornata est, ut hoc ipso anno, quae certa spes est, absoluta et consummata inter omnium optimas tantae amplitudinis Bibliothecas optimo iure censeri possit.

Quam gauderet animo, si viveret et haec videret, clarissimus Kist, qui, quum festo libello lustrum Academiae nostrae quinquagesimum quintum celebraret, querelas non continuit, quod uno et eodem tecto et scripta hominum et ossa servabantur, et se metuere dixit ne aliquando non satis firmum aedificium ingenti mole librorum rueret, et libri ossibus, ossa libris miscerentur. Bonum factum quod nunc ille metus in perpetuum praeteriit.

Plurimum debemus in ea re viro sollertissimo et elegantis ingenii, primo Bibliothecario, qui comite illo viro, cui res architectonica curae et studio est, peragrata Britannia et cultioris Europae parte quidquid erat in eo genere perfectissimum spectavit, electurus id quod nostrae rei aptissimum esse videretur. Curatores, qui negotium hoc illis dederunt, sua spes non fefellit. Bibliotheca ita instructa et disposita et ad praesentem usum accommodata, qualis propediem absoluta omnium oculis patebit, iis qui Britanniae metropolin viderunt revocabit in mentem Musei Britannici imaginem (si licet minora componere magnis), praesertim in superiore parte, ubi videbunt, luce per tectum immissa ingentem librorum numerum arctiore spatio ita dispositum, ut ad habilem et expeditum librorum usum nihil desideretur.

Sed sunt alia quoque, quae hanc laetitiam augeant. Solebant antehac qui bibliothecam regebant, qui legatum Warnerianum curabant, qui Codices Manuscriptos inspiciebant in uno et eodem loco suum quisque nego-

tium agere et sic aliena turbare vel impedire. Haec omnia posthac locis discreta erunt, et licebit cuique suas res sine interpellatore agere, quod imprimis studiosis adolescentibus gratulamur, qui palaeographiam discentes tam Graecos Codices quam Latinos sedulo versant.

Sed quamquam haec omnia animos laetitia perfundunt, est tamen aliquid quod desideremus. Large et benigne consultum est aedificio, quo libri continentur, utinam largius et benignius consulatur librorum ipsorum numero amplificando. Quod pecuniae publicae ad libros emendos ex aerario attribuitur, tam exiguum et pusillum est ut fere id dicere erubescam, ne ipsi patriae sit ea res dedecori. Hinc magna nascitur librorum, quos quisque ad singulas suae disciplinae partes penitus cognoscendas requirit, inopia et penuria, et coguntur multi ad privatorum bibliothecas confugere, et procul id quaerere, et saepe frustra, quod Bibliotheca Academica promtum et paratum offerre debebat.

Sarcitur illum incommodum, quantum quidem eius fieri potest, larga et effusa Curatorum benignitate. Multis modis id nuper est demonstratum quum Curatorum liberalitate effectum est, ut bona librorum copia a Tydemanno nostro et Guilielmo Vrolik et Grootholsio et Schrantio relictorum Bibliothecae nostrae adderetur. Accedit his quantivis pretii liber Manuscriptus Hugonis Grotii *de Iure Praedae*, cuius adhuc unum caput *de Mari libero* in lucem esset editum. Speramus igitur aliquando fore, ut hanc Curatorum in re utilissima benignitatem publica et perennis liberalitas consequatur.

Museum Anatomicum spem olim de se conceptam non fefellit, neque rerum memorabilium frequentia et copia, neque facultate et opportunitate ad usum et disciplinam anatomicae rei colligendam. Insigni incremento auctum est exquisita collectione craniorum et pelvium Iavanicae originis dono data a viris doctissimis Swaving et Fiers Smeding, quod munus eo nobis gratius accidit, quo Ethnologica disciplina magis magisque efflorescit.

Honori ac laudi nobis est iudicium peritissimi harum rerum iudicis, qui, quum satis constet reliqua huiusmodi subsidia et adminicula Medicinae practicae in patria nostra aut maioribus aut minoribus vitiis et defectibus laborare, unum omnium Museum Academicum Leidense illa reprehensione

carere iudicavit. Sed reticere non debeo, illam laudem tantummodo partem anatomicam spectare, neque eandem in laboratorium physiologicum convenire. Itaque, quod ante hos quinque annos et Curatoribus et illis, qui summam rempublicam moderantur, notum feci, exoptandum semper est ut reliquis studiorum adminiculis accedat laboratorium huiuscemodi, quod nostrae aetatis studiis progressibusque respondeat, et ut duplex munus Professorium, quod nunc mihi soli incumbit, inter duos Professores dividatur.

Quam sit illa exoptanda studiorum partitio argumento esto ipsa moles studiorum late patentium et in diversa abeuntium, quae mihi soli est imposita, et quae tanta est ut utrique officio, quantum rei gravitas postulat, satisfacere nequeam. Uni viro in Academia Lugduno-Batava Anatomia et Physiologia committitur, neque cavetur a periculo, ut alterutrum ex his Medicinae fundamentis minus firmiter ac diligenter constituatur.

Anatomiae cum Physiologia coniunctae eadem est ratio, quae Historiae patriae cum Litteris patriis copulatae, et Iuris Romani cum iure hodierno, quae disciplinae antehac perperam binae singulis erant attributae, nunc sapienter singulis singulae provinciae sunt. Ipsa rei natura postulat, ut in universitate bene ordinata studiosa iuventus sub idoneo et perito duce practica physiologiae studia sequi et colere possit. Requirit Physiologia suum sibi laboratorium, Professorem suum. Non est illi rei Theatrum Anatomicum satis accommodatum, cui qui praeest quid aliud praeter methodum fideliter observare possit?

Denique provoco ad exempla reliquarum omnium Academiarum, et quae apud nos ipsos habentur. Habet Academia Traiectina, habet Groningana, habet Athenaeum Amstelodamense suum sibi Laboratorium Physiologicum, suum Physiologiae Professorem, sola omnium Academia Lugduno-Batava non habet.

Utinam mox ille rerum status in melius convertatur, et voti compos totus in Anatomia vivens in Anatomia docenda superem me ipsum!

Quicumque me audit praesentis conditionis bona ita laudantem ut mala non taceam, apud animum suum cogitabit de Nosocomio Academico, quod semper eodem statu est, quo antea fuit, id est misero et calamitoso.

Nolo huius diei laetitiam corrumpere iterando querelas tam iustas quam crebro repetitas. Non tantum Academica institutio ex illa inertia accipit

detrimentum, ipsa humanitas graviter laeditur. Horribile dictu, horribile auditu est, Nosocomium, sanandis morbis destinatum, ita comparatum esse, ut novos morbos pariat, et leviter affectos mortifera labe contactos ad immaturam necem rapiat. Horribile dictu id est, sed rerum testimonia adsunt. Attigi verbo quod est gravissimum, caetera silentio praeteribo.

Non refricabo vetera vulnera; tam saepe de ea re actum est ut nihil novi addi possit. Me iudice, culpa non est magis conferenda in eos, qui summae rei praesunt, quam in ipsam popularium nostrorum naturam et ingenium, quod fere a Nosocomiis publicis abhorret. Vix et difficulter aegrotos pauperiores eo compellas, ut suas inopes aediculas et suos relinquant et in Nosocomium se recipi patiantur. Neque ditiores satis intelligere videntur, quantum sit in bonis Nosocomiis boni. Intellectum id nuper est Amstelodami, quum de Nosocomio extraneo diversis sententiis pugnaretur.

Actum est de moribus et virtutibus maiorum nostrorum, qui summa ope et effusa liberalitate calamitosis et miseris confugia parare solebant. Nunc homines vulgo sunt paratiores opes suas effundere in ea, quibus animi salventur, quam quibus curentur corpora. Laudabile hoc quidem est, sed ita ut modus non excedatur. Apparent paulatim sanioris mentis vestigia quaedam. Balnea parantur, gymnastica ars colitur, sed quem praeclarum fructum bona Nosocomia ferant pauci cogitare videntur. Et tamen haec sunt non minus quam illa, non minis quam salubria corporis nutrimenta, non minus quam scholarum spatia ampla et salubri aëre perflata, quibus in sano corpore mens sana pariatur et parta conservetur, quibus populo nostro robur et vires addantur, ut maiorum virtutes strenue aemulari possit.

Itaque, si me opinio non fallit, tum demum illud malum, de quo querimur, tolletur, quum populares nostri de cura et cultura animi et corporis coniungenda saniorem sententiam conceperint. Est praeterea aliqua spes fore, ut prodeant viri quidam eximii, qui mentis vigore et ardore et indefessa industria et argumentorum pondere illam causam apud viros potentissimos obtineant, quo facto illorum auctoritatem vulgus hominum primum secuturum est, deinde probaturum. Quantum praestiterit clarissimus Schröder van der Kolk ad prospiciendum et consulendum mente captis, quantum doctissimus Molewater in Nosocomio Roterodamensi, quia apud omnes celebratum est, non est a me praedicandum, sed publice reveren-

tiae et admirationis meae testimonium exhibeo viris praeclaris, immatura morte raptis, et omnibus exemplo proponendis.

Hoc igitur voveo, hoc opto, ut populares ad saniorem mentem redeant, vel ut exoriatur vir egregius, qui eos, quorum in manu est potestas, eo perducat, ut nobis Nosocomium constituant his temporibus dignum, ubi aegrotantes morborum curationem reperiant sine gravioris mali contagione et periculo.

Tandem ad vos me converto, Academiae nostrae alumni. Ex vestro quoque numero plures acerba mors abstulit. Deflemus vobiscum ornatissimos Dykstra, Esser, de Senarclens de Grancy, Herny Reepmaker. Quantum doloris concepimus ex obitu ornatissimi Esser ob eximias animi dotes perinde omnibus cari, Studiosis, Professoribus, notis omnibus! Graviter commoti sunt omnium animi in ingenti luctu patris filium quo nihil esset illi carius humo condentis. Nec mirum, namque erat in illo quod omnibus exemplo proponi posset. Propter industriam carus Praeceptoribus, amabili modestia Praeceptores redamabat. Carus amicis optime omnium amicitiae officia praestabat. Pacis et concordiae auctor, si forte turbata esset, comiter id agebat, et nil sibi arrogans, et perite et sollerter, ut eum ingenia et naturam hominum probe perspectam habere appareret. Sed quod maximum est, erat in illo insignis erga parentes pietas; agnoscebat quantum parentibus deberet, et enitebatur ut eorum beneficiorum partem aliquando parentibus redderet.

Generosa iuventus, ad hoc amici immaturo obitu rapti exemplum vos omnes componite. Transegimus annum insignem pace et otio, insignem mutua inter Professores et studiosam iuventutem benevolentia et caritate, annum cuius olim meminisse iuvabit. Componite vos, inquam, ad amici desideratissimi exemplum, et erit haec perpetua felicitas, et fidelis animorum conspiratio, et semper magis magisque confirmabitur quod vobis symbolum est:

Virtus, concordia, fides.

Quod erat mihi agendum, peractum est. Hoc unum restat, ut dignitatem et potestatem Rectorii muneris Tibi tradam, clarissime Faure, quem Rex Augustissimus in sequentem annum Rectorem Magnificum creavit. Rem magnam et gravem suscipis, sed eam tibi faciet communis omnium collegarum benevolentia leviorem. Sit ille annus, te Rectore, fortunatus ac felix! Floreat, te Rectore, Academia Lugduno-Batava, et stabiliat augeatque pristinam laudem et gloriam!

DIXI.

ACTA ET GESTA IN SENATU,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

A. 1864.

Die 18 m. Iunii. Recitantur litterae Curatorum d. d. 29 Febr. Senatum certiorem facientium Bibliothecae Academicae amanuensem creatum esse virum doct. W. N. du Rieu.

Recitantur litterae Curatorum d. d. 5 April Senatui notum facientium in locum viri cl. Cock, a Rege Augustissimo Professorem Ordinarium in Facultate Iuridica creatum esse virum cl. I. T. Buijs.

Recitantur litterae Curatorum d. d. 2 Iunii Senatui nunciantium a Rege Augustissimo Professorem Ordinarium in Facultate Medica creatum esse virum doct. I. C. G. Evers.

Recitantur litterae Senatus Academiae Groninganae duos e Senatu Leidensi Professores ad concelebranda Academiae Groninganae semisaecularia officiosissime invitantis.

Placuit eam rem mandare Rectori Magnifico et Actuario et, si quis eorum illo munere fungi non posset, eum sublegere qui proxima memoria alterutro officio functus esset. Itaque viri cl. C. G. Cobet et I. I. Prins, designati sunt qui Groningam ad congratulandum mitterentur.

Die 25 m. Iunii. Cl. I. T. Buijs munus auspicatur habita oratione cui titulus et argumentum: *Over het moderne staatsbegrip.*

Die 23 m. Sept. Recitantur litterae Curatorum d. d. 30 Iunii, quibus Senatus fit certior Regem Augustissimum viro cl. Cock propter aetatem septuagenariam honestam missionem concessisse.

Recitantur litterae Curatorum d. d. 30 Iunii Senatum certiorem facientium in Curatorum collegium allectum esse virum amplissimum R. I. C. Metelerkamp.

Recitantur litterae Curatorum d. d. 4 Iulii Senatum certiorem facientium viro doct. R. S. T. Modderman concessam esse honestam missionem e munere, quo in Laboratorio chemico fungebatur.

Recitantur litterae Curatorum d. d. 25 Iulii Senatum certiorem facientium viro doct. L. C. Levoir, honestam missionem esse concessam e munere, quo fungebatur in Museo Physico.

Viri cl. C. G. Cobet et I. I. Prins a Senatu delegati ad Academiam Groninganam referunt sese ab Universitate Groningana ita receptos esse ut nihil neque sibi gratius neque Academiae Lugduno-Batavae honorificentius fieri potuerit.

Vir doct. I. C. G. Evers munus auspicatur habita oratione: *Over de waarde der ervaring aan het ziekbed.*

Die 17 m. Ian. 1865. Recitantur litterae Curatorum d. d. 11 Oct. quibus Senatus fit certior in locum viri doct. R. S. T. Modderman, creatum esse virum doct. C. C. I. Teerling, qui Professori Chemiae in Laboratorio assisteret.

Recitantur litterae Curatorum d. d. 25 Oct. Senatum certiorem facientium in locum viri doct. L. C. Levoir creatum esse virum doct. F. van Calker, qui Professori Physices in Laboratorio assisteret.

Candidati quatuor, e quibus in proximum annum Academicum Rector Magnificus a Rege constituatur, designati sunt viri clarissimi:

R. van Boneval Faure,
I. I. Prins,
W. F. R. Suringar,
R. P. A. Dozy.

Candidati, e quibus eligatur Actuarius, designantur viri clarissimi:

I. E. Goudsmit,
I. C. G. Evers,
L. W. E. Rauwenhoff,
W. F. R. Suringar.

Die 8 m. Febr. Recitatur decretum Regium d. d. 26 Ian., quo in annum Academicum ineuntem Rector Magnificus creatur vir. cl. R. van Boneval Faure.

Refert Rector Magnificus in conventu Curatorum cum Rectore Magnifico et Assessoribus in proximum annum Actuarium creatum esse virum cl. I. E. Goudsmit.

Futuro Rectori Magnifico Assessores constituuntur viri clarissimi:

I. A. Scholten,
A. H. van der Boon Mesch,
W. G. Pluygers,
A. E. Simon Thomas.

Rector Magnificus cum Senatu et reliquis Professoribus in Auditorium maius descendit et ex cathedra orationem habet: *De iis, quae Academiae Lugduno-Batavae anno* 1864—1865 *tristia et laeta acciderunt*, et verbis solemnibus magistratum deponit.

Novum Rectorem Magnificum Professores deducunt et officiosissime salutant.

HET

MODERNE STAATSBEGRIP.

INWIJDINGSREDE

DEN 25sten JUNIJ 1864

UITGESPROKEN

BIJ DE AANVAARDING VAN HET HOOGLEERAARSAMBT TE LEIDEN,

DOOR

Mr. J. T. BUIJS.

EDEL GROOT ACHTBARE HEEREN CURATOREN VAN DEZE HOOGESCHOOL;

WELEDELGESTRENGE HEER SECRETARIS VAN HET COLLEGIE VAN CURATOREN;

HOOGGELEERDE HEER RECTOR MAGNIFICUS, HOOGGELEERDE HEEREN PROFESSOREN, ZEER GEACHTE AMBTGENOOTEN;

EDEL ACHTBARE HEEREN AAN WIE HET BESTUUR VAN DEZE STAD OF DE HANDHAVING VAN HET REGT IS TOEVERTROUWD;

WELEDEL ZEER GELEERDE HEEREN DOCTOREN IN DE VERSCHILLENDE FACULTEITEN;

WELEERWAARDE HEEREN LEERAREN VAN DE GODSDIENST;

WELEDELE HEEREN STUDENTEN AAN DEZE HOOGESCHOOL;

EN VOORTS GIJ ALLEN, DIE DEZE PLEGTIGHEID MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT, ZEER GEWENSCHTE TOEHOORDERS.

Tachtig jaren geleden sprak de Hoogleeraar Kluit, toen hij de rectorale waardigheid aan een zijner ambtsbroeders overdroeg, van dit zelfde gestoelte "Over het misbruik van 't algemeen staatsregt." 't Was een stout bestaan, want men schreef Februarij 1784, en het misbruik dat de redenaar bestreed, betrof niets minder dan die volstrekte volksoppermagt, welke de opgeblazen burgermaatschappij, en zeker ook de meerderheid der toehoorders, toen meer dan ooit als een heilig volksregt verdedigde. De nadeelige gevolgen bleven niet uit: althans in het voorberigt van de hollandsche vertaling dezer redevoering, die later het licht zag, klaagt de Hoogleeraar over de vele "hardigheden" welke hij om zijne denkwijze had te verduren gehad; hardigheden, waartoe niet onwaarschijnlijk ook de hier bedoelde redevoering zal hebben bijgedragen.

Jan Hopkens; gewigtige waarheden in den vorm van vertelselen; uit het Engelsch van Mevr. *Marcet*, met Voorrede en Bijvoegsel van Prof. *H. W. T.* Utrecht, R. Natan, 1840. 8°.

De Staatszorg voor de Armen verdedigd en aangeprezen, uit het Engelseh van *A.* en *P. W. Alison*, met eene Voorrede. Leiden, P. H. v. d. Heuvell, 1853. 8°.

Voorts heeft Tydeman in onderscheidene Nederlandsche Tijdschriften, als de Vaderlandsche Letteroefeningen, den Algemeenen Konst- en Letterbode, den Schouwburg voor in- en uitlandsche Letter- en Huishoudkunde (1805—1810), den Recensent ook der Recensenten (sedert 1806), den Vriend des Vaderlands (van 1827—1842), met of zonder zijn naam, eene groote menigte Boekbeoordeelingen, waaronder eenige uitgewerkte en belangrijke, benevens kleinere opstellen en bijdragen van verschillenden aard en inhoud geleverd. Onder deze laatstgenoemde verdienen vooral vermeld te worden:

In den Algemeenen Konst- en Letterbode, te Haarlem bij Loosjes:

1807. Voldoende historische gronden en diplomatische bewijzen, dat de Kolk- of Kamer-sluizen, hier te lande, reeds in de 13de eeuw, aanwezig waren (naameloos). N°. 51, bl. 385—394.

1829. Kort geschiedkundig Overzigt van de Jury, en wegens den toestand van onderscheiden Landen in dit opzigt (niet geteekend). N°. 13 en 14, bl. 200—202 en 220—222.

Weduwen- en Weezen-fondsen, — Spaarbanken, — Zorg van het Gouvernement. (geteekend *H. W. T.*) N°. 16, bl. 251—255.

1841. Iets over *A. Pitcairn's* gedicht: *Tellurem fecere Dii, sua littora Belgae.* N°. 12, bl. 186—188.

1848. Iets naders over het Historisch Gezelschap te Utrecht, geteekend *X.* N°. 51 en 53, bl. 396—399 en 428—432.

1849. Nog iets over het gewezene Enkhuizer Oude-Mannenhuis en het Engelsche Greenwich-Hospitaal. N°. 6, bl. 90 en volg.

In den Recensent ook der Recensenten, te Amsterdam bij J. van der Hey en Z.:

1808—1810. Twistgeschrijf met *Sibrand Gratama*, over eene beoordeeling zijner Akademische Dissertatie in den Schouwburg van In- en Uitlandsche Letter- en Huishoudkunde. Rec. Deel III, bl. 623—625. IV, bl. 63—70, 335—339 en 552—556. V, bl. 253—256. En met *Seerp Gratama*, Hoogleeraar te Groningen, over eene beoordeeling van Mr. *J. van der Linden's* Regtsgeleerd, practicaal en Koopmans Handboek, Dl. IV, bl. 327—334 en 449—462. Alsmede, over het Verslag aangaande de Regtsgeleerde Akademische Litteratuur in ons Vaderland, Dl. V, bl. 335—341.

In den Utrechtschen Volks-Almanak, bij L. E. Bosch:

1841. De overgang van het Sticht aan Karel V.

1842. Twee minnebrieven van Mr. *W. den Elger*, met iets vooraf over den Schrijver.

1844. Brief van *B. Spinoza* aan J. van Veldhuijsen, met vertaling, facsimilé en aanteekeningen.

In de aan de Jaarlijksche Handelingen van de Maatschappij der Nederlandsche Letterkunde te Leiden toegevoegde Levensberigten:

1850. Brief aan Mr. *H. Vollenhoven* over de vroegere levensjaren van zijnen vader Mr. *C. Vollenhoven.* Gevoegd bij het door den eerstgenoemden opgestelde Levensberigt van *C. V.*

1855. Levensschets van Mr. *C. A. Kluit.*

1863. Levensschets van Mr. *Theunis Haakma Tresling.* Leiden, 1863. (Dit was 's mans laatste pennevrucht, slechts weinige dagen voor zijn dood afgedrukt.)

ACADEMIA

RHENO-TRAIECTINA.

14

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. XVIII M. MARTII A. CIↃIↃCCCLXIV AD D. XXVIII M. MARTII A. CIↃIↃCCCLXV

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

IACOBUS ISAACUS DOEDES.

SENATUS AMPLISSIMI GRAPHIARIUS

MARTINUS HOEK.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN, emeritus (obiit d. 14 Maii 1864).
B. TER HAAR.
I. I. DOEDES.
I. I. VAN OOSTERZEE.

IN FACULTATE IURIDICA.

G. G. VREEDE.
B. I. LINTELO DE GEER.
I. A. FRUIN.
O. VAN REES.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

S. KARSTEN (obiit d. 7 m. Maii 1864).
C. G. OPZOOMER.
I. A. C. ROVERS.
H. C. MILLIES.
G. G. BRILL.
H. VAN HERWERDEN (munus auspicatus est d. 28 m. Octobris 1864).

IN FACULTATE MEDICA.

G. I. LONCQ, Corn. Ian. Fil.
F. C. DONDERS.
L. C. VAN GOUDOEVER.
G. KOSTER.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

R. VAN REES.
G. I. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUIJS BALLOT.
M. HOEK.
F. A. G. MIQUEL.

LECTORES.

P. Q. BRONDGEEST, Medicinae.

I. W. GUNNING, Chemiae (Professor in Athenaeo Illustri Amstelodamum vocatus, m. Febr. 1865).

A. C. OUDEMANS, Chemiae (Professor in Schola Polytechnica Delphos vocatus, m. Dec. 1864).

I. H. HISGEN, Literarum Germanicarum.

I. VENNING, Literarum Anglicarum.

M. A. E. ROBERTI, Literarum Francicarum.

IACOBI ISAACI DOEDES

ORATIO

DE

LIBERTATE CUM THEOLOGIAE, TUM ETIAM ECCLESIAE CHRISTIANAE, STRENUE VINDICANDA,

IN AUDITORIO ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE

HABITA

D. XXVIII M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXV,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACCEDIT RERUM ACADEMICARUM ENARRATIO.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, PROFESSORES, LECTORES, CIVES,

CUIUSCUMQUE ORDINIS ET LOCI AUDITORES HUMANISSIMI, SPECTATISSIMI!

Nihil omnium rerum, hac nostra aetate, tantis celebratur laudibus, quantis efferri ab omnibus solet Libertas, blanda illa atque suavis, laeta illa atque felix, aurea illa atque pretiosa. „Non bene pro toto libertas venditur auro." Laudant eam docti et indocti, laudant principes et gentes, laudant poëtae et oratores, et iuventus et senectus, et in Academiis Studiosi et Professores. Neque tantum oppressis, sed etiam oppressoribus summis laudibus digna videtur. Libertatem suam ut tueantur aut nanciscantur, homines vel gravissima patiuntur, populi arma capiunt, bella gerunt, coelum terramque movere non reformidant. Eius amori studiique efficacitati liberaliores debentur recentioris praesertim aetatis leges atque instituta, quibus fit, ut iuribus suis singuli uti possint cives. Neque in rebus tantum politicis et civilibus libertati praecipuus conceditur locus. Eius studium in variis quoque disciplinis ac scientiis animadvertitur. Quod ad religionem attinet, hanc libertate carentem cogitare vix possumus. Ut religionem suam non liberam esse gentes ferre non valent, ita libertate sua non uti posse ingens malum videtur Ecclesiae Christianae.

Libertas autem, quam loquimur, non est licentia illa effrenata, quae legibus soluta omnia sibi licere autumet. Qui veri nominis libertati studet, is liberum se esse cupit ab omnibus vinculis atque impedimentis, quae ipsum prohibeant, quominus secundum suam naturam se explicet suisque iuribus utatur; minime vero ei propositum est, quod caeteri eodem iure sibi petant atque exposcant id iis denegare. Ad suum cuique tribuendum paratus est. Longe autem abest, ut quicumque libertati summas

laudes tribuendas esse censeant eam religiose etiam sancteque venerentur. Eius se studiosos ac vere liberales esse gloriantur haud pauci, qui minime aliis concedentes quod sibi ipsis competere iure statuant illiberales dici merentur. Sunt enim, quibus, ubi de libertate agitur, minime in ore, multo minus in animo est notissimum illud: "hanc veniam petimusque damusque vicissim." Quod ne miremur. Aliis enim si concedamus, ut eadem quam nobis ipsis vindicamus libertate utantur, nonnumquam nobis abstinendum erit ab ea vivendi agendique ratione, quae maxime nobis placeat. Neque hoc tantum; verum accidit subinde, ut metuamus, ne qua alii utantur libertas damnum nobis afferat. Omnibus igitur sedulo cavendum est, ne ita libertati studeant, ut alteri alter obsit; cavendum, ne ita tueamur libertatem nostram, ut nefando eius abusu tandem effrenatae nos licentiae tradamus.

Quorsum haec? Dicam, A.A. Versantur mihi ante oculos Theologia et Ecclesia Christiana. Utramque, libertatis ratione habita, dicentem audimus: "Hanc tuemur." Ecclesia Christiana, nisi libera, sibi satisfacere nequit. Theologia, nisi libera, non languescere non potest. Ecclesia libera in libera civitate, quis dubius haereat, quin celebratissimo huic dicto assentiatur? Libera sit a civitate Ecclesia; et libera quoque sit a Theologia. Quid enim? Ad hunc usque diem lites agitantur de gravissimis disciplinae theologicae, de gravissimis religionis doctrinae capitibus. In diversas ita Theologi secesserunt partes, ut Theologiam vix locutus sis, quin continuo arenam quasi intuearis, certantibus plenam. Ita hodie dissentiunt inter se, ut vix quidquam alicuius momenti unus alterve in medium proferre queat, quin mox sibi contradicentes, imo satis acerbe, eheu, ipsum aggredientes aliquos habeat. Miseram ecclesiam Christianam, cui a Theologia, cui igitur a Theologis pendere impositum esset. Iidem autem dicimus: Miseram Theologiam, quae ut Ecclesiae se subiiceret cogeretur. Actum esset de veri libera indagatione et expositione. Utriusque et Theologiae et Ecclesiae libertas ita vindicanda est, ut sui iuris esse et Theologia et Ecclesia proclamentur. Ne alterius libertati altera obtrectet, quin potius alterius libertatem altera religiose colat. Libera esto Theologia ab Ecclesiae imperio. Libera esto Ecclesia a Theologiae dominatione.

Iam vos non latet, A.A., argumentum, quod hac sollenni hora tractandum mihi sumsi. Quaerenti, an vos omnes, nullo omnino excepto, mihi assentientes habiturus sim, ipse respondeo: fore, ut hoc mihi contingat, vix sperare ausim! Quis enim de rebus, Theologiam aut Ecclesiam Christianam spectantibus, his nostris temporibus dicere, et omnes omnino harum rerum peritos sibi assentientes habere possit? Quod igitur gratum acceptumque mihi opus est, arduum simul ac difficile mihi esse videtur; gratum atque acceptum, quandoquidem coram vobis, humanitate et benevolentia conspicuis, verba mihi facienda sunt; arduum autem et difficile, quum orationis argumentum quaerenti tale reperisse mihi non datum sit, quale mihi optavi, scilicet, quo tractato nil dixissem, cui non facile omnes calculum adiicere potuissetis. Quidquid est, vos, A.A. exoptatissimi, benevolas praebeatis, quaeso, aures dicenti: *de Libertate, cum Theologiae, tum etiam Ecclesiae Christianae, strenue vindicanda.*

Habet hoc argumentum, ni fallor, quo se commendet. Etenim minime omnes facile nobis concedunt, Theologiam esse disciplinam, cui Ecclesia Christiana nil praescribendum habeat; neque verisimile vobis videtur, vix quemquam reperiri, qui non sibi licere existimet, in Ecclesia libere docere et praedicare quaecumque Theologia nuperrime, ex ipsius quidem sententia, vere exposuerit. Non ea est nostri temporis ratio, ut omnes cum Theologiae tum Ecclesiae eam vindicent libertatem, qua uti utramque oportet. Quapropter paucis utrique eam vindicare atque tueri conabor.

Quod ad Theologiam attinet, quae religionis doctrinam tractat, huius disciplinae est, cum ea exponere quae variis temporibus homines de Deo rebusque divinis statuerint atque docuerint, tum quaerere utrum vera illa an falsa sint dicenda. Quarum rerum liberam inquisitionem eodem iure postulat, quo caeterae disciplinae omnes liberam veri indagationem sibi vindicant, nisi forte nefas habendum est homini, aut omnino quaerere quid verum quid falsum sit, aut id quaerere in religione! Agit igitur de religionis natura atque indole, ita ut religioni nullum relinqui locum ostendat, nisi credant homines, esse quoddam Numen Supremum. Religionis originem inquirit atque fontem, varias eius formas earumque historiam. Cum alias religiones, tum Christianam explorat. Huius tractat historiam

et doctrinam. Quod ad doctrinam, hanc non ita tantum exponit, ut doceat, quid variis temporibus ipsa Ecclesia Christiana professa sit, quid singulae Ecclesiae Christianae familiae. Quaerit etiam, an verum sit quidquid de Deo, de Iesu Christo, Dei Filio, Ecclesiae Domino, de salute per Christum nanciscenda, docuerint atque professi sint ii, qui religioni Christianae, qui Iesu Christo nomen dederint. Libere de dogmatices placitis iudicat, suum iudicium de hisce exponit, nullius humanae auctoritatis rationem habens. Sponte sua omnes quaestiones tractat, quae res divinas tangunt. Estne Deus persona, sibi conscius atque libere volens, ab universa rerum natura distinguendus, an vero potius statuendum est, si Deum loqueris, nequaquam tibi de persona sui conscia esse cogitandum? Estne aliquid praeter naturam? Num forte concedendum est Materialistis, nihil esse praeter materiam, aut Naturalistis, nihil esse supra naturam? Ita quaerit Theologia et quaerere pergit, Pantheismi placita, Deismi doctrinam, et ea quae Theismo propria sunt, in examen vocando. Si Deus est, sui conscius, dicine potest universam rerum naturam ita creasse, ut initium habuerit illa, an vero statuamus necesse est, Deum, quippe aeternum, mundi esse causam aeternam, ita ut de universa rerum natura idem valeat atque de Deo, utrumque scilicet vere aeternum esse? Si Deus mundum creavit, estne assentiendum Deistis, nullum esse statuentibus communionis vinculum creatorem inter et mundum creatum, ita ut Deus a mundo plane seiunctus sit? Nonne rectius Theismus docet, arctissimo semper communionis vinculo mundum Deo esse coniunctum? In his aliisque huius generis rebus investigandis, ut tandem ipsi de vero constet, libera sit Theologia. At vero pergendum est. Statuunt nonnulli, Deum sui conscium ita in universa rerum natura praesentem adesse, ut eum universi causam immanentem dicant, universi autem ratione habita Dei transscendentiam q. d. negent; alii contra Dei immanentiam non negantes, vel sic, quod ad universam rerum naturam attinet, transscendentem quoque eum dicant. Si immanentem, non vero transscendentem Deum dicimus, sponte patet, Supranaturalismum a nobis oppugnari, cuius, uti novimus, aetate quam vivimus, haec est sententia: Deum in rerum quidem natura vi sua omnipraesenti operari, ipsum tamen ita esse supra naturam, ut non sit legum naturae quasi complexio, verum multo magis ipsi, na-

turae earumque legum quippe Domino, leges illae subordinatae sint atque subiectae. Quaerenti, quid tandem Theologiae intersit, de his quaestionibus accuratam instituere disquisitionem, respondendum erit: Multum procul dubio, religionem in primis aut Ecclesiam Christianam si spectas. Valde enim dubitandum est, an de religione, vero nomine ita dicta, de vita in Dei communione degenda, sermo esse possit, si Deum Universo ita fere inclusum esse statuamus, ut in omnibus naturae partibus, in nobismet quoque ipsis, sui conscius, praesens adsit. Nulla religio, nisi Deus esse creditur, a nobis, a rerum natura, omnino distinguendus. Haec autem aliaque diligenti pervestigatione inquirenti, Theologiae perpendenda sunt atque iudicanda quaecumque cum de universa rerum natura, tum in primis de homine eiusque sensu morali et religioso, innotuere; in examen quoque vocatis iis, quae historia gentium nos docet, cuius praecipuum locum occupat Iesus Christus. Hic Theologiae instar omnium est! Hunc maxima animi intentione intuetur. Hic quid vita sua, quid fatis et verbis et factis de Deo rebusque divinis nos docuerit, quae auctoritas ipsi in hisce tribuenda sit, quid ex Ecclesiae, quae originem suam ex eo ducit, primordiis effici possit ad quaestiones illas illustrandas, inquirit theologica disciplina. Latissimus campus, A.A., quem ingredi Theologia non reformidat. At quantae inde lites oriuntur, quantae etiamnunc de Iesu agitantur! Quis fuit, qualis habendus est ille, quem innumerabile discipulorum agmen Dei viventis filium unigenitum, hominem factum, e Maria virgine natum, omnis peccati immunem, fatis, verbis, factis nulli aequiparandum, crucis morti, insontem illum, traditum, e mortuis in vitam reducem, in coeli gloriam evectum, Ecclesiae caput invisibile, Dominum ac iudicem viventium et defunctorum, quem igitur, tot nominibus clarum, Servatorem suum profitetur! Quis fuit? Respondet vita, respondent fata, verba, facta. Eius vita narranda est; ad quod opus qui se accingit, quanti illum, quos exantlet, manent labores! De fontibus, unde Iesu vitae cognitio haurienda est, de illorum pretio, de Euangeliorum Synopticorum et Iohannei auctoritate, de eorum igitur origine, aetate, fide historica, consilio, usu, quanta sunt quae disputanda habet disciplina nostra. An omnes perpendistis, quid hoc sibi velit: Iesu vitam enarrare? Experientia edoctum saeculum undevicesimum in eo est, ut satis difficile, imo valde arduum

opus illud esse concedat, non refragantibus, ni fallor, vel ipsis illis viris doctissimis, qui historiam vitae Iesu elaborando magnam vitae suae partem dicarunt, excepto fortasse Ernesto Renano. Arctissime cum Iesu historia coniuncta est historia Apostolorum, historia originis et primordiorum ecclesiae Christianae; historia, ut cuncta complectar, aevi cum Apostolici tum sequentis. Quantum ab iis, qui scholae Tubingensi magis minusve adhaerescunt, differunt illi, quibus scholae illius principia minime placent; quantum in haud paucis inter se dissentiunt et illi viri docti, qui mediam quamdam viam ineundam esse censent! Ita parum consentiunt viri docti in hisce disquisitionibus, ut, si id solum certum est, quod omnibus constet, fere nihil, quod ad Iesu historiam attinet, certum esse dixeris, — fere nihil, nisi hoc: eum natum esse, vixisse, aliquid omnino dixisse, scilicet Deum esse spiritum, omnium hominum patrem; homines autem oportere fraterno inter se amplecti amore; discipulos quosdam eum secutos esse; hos illum Christum habuisse; adversarios autem acerbissimos tandem id effecisse, ut cruci affixus morti traderetur. Haec, ni fallor, omnibus constant. De caeteris, exceptis verbis quibusdam et factis minoris momenti, diputant viri docti — et libere disputent — et disputare pergant, si res ita fert. Namque veritatis causa agitur, illius scilicet, quae omnia ad fundum usque penitus perscrutari nos iubet. Neque metuendum est, ut tandem omnia omnino vacillent atque prorsus incerta reddantur; modo caveant omnes, ne liberae disquisitioni et indagationi frena iniiciantur. Statuant quam plurimi, hac nostra aetate, omnia quae ad rerum naturam et historiam generis humani pertineant, explicanda esse ex certis, quas dicunt, legibus, quibus de ipsorum sententia omnia, cum in regno naturae, tum in historia gentium reguntur; cui igitur consequens est, ut narrationum, miracula tradentium, fidem historicam reiiciant, ut Iesum patre Iosepho natum, virum probum ac pium quidem, egregium, eximium, imo ingenium religiosum habeant, minime vero omnis peccati immunem, minime Dei filium, qui homo factus esse dici debeat; consequens, ut vere miracula eum perpetrasse, e mortuis in vitam rediisse, atque in vitam reducem discipulis vere se conspiciendum praebuisse, praefracte negent. Ab altera autem parte placida disputatione exponatur, illos, qui miracula ad historiam pertinere negent, in historia indaganda minime

liberos esse opinionibus praeiudicatis; atque dilucida historiae Ecclesiae primaevae expositione probetur, id quod de Iesu et primorum ipsius discipulorum historia constet omnino postulare, ut fidem habeamus iis, quae de Iesu persona, doctrina, factis fatisque tradiderunt Euangelistae et Apostoli; ostendatur, talem Iesum, qualem eum fingunt et alii, et Straussius, Ernestus Renanus, Schenkelius, qualem de criticorum Tubingensium sententia fortasse eum fuisse verisimile est, talem Iesum minime explicare Christianae religionis et Ecclesiae originem, historiam et per undeviginti saecula effectus. Ne alto supercilio quae ab altera parte afferuntur argumenta altera pars contemnat aut despiciat, quamque in historia indaganda sibi summo iure petit libertatem, eam aliis lubens concedat. Quod idem de caeteris, quae Theologiae tractanda sunt, valet. In dogmaticis libera ei disquisitio esto. Quam arduum opus est, totam religionis Christianae doctrinam in systematis formam redigere, de materia, de fonte, de principio, de methodo Dogmatices Christianae ita disputare, ut nihil desideretur, ut omnibus satisfacias. Praetereo Ethicen Christianam aliaque disciplinae theologicae capita. Quidquid agit, libere agat Theologia, veri studio, veri amore unice ducta. Libere inquirant, exponant, reiiciant, defendant, in dubium vocent, confirment Theologi, nulli se mancipantes, hoc in primis curantes, ut vere affirmare queant, veri se studio duci; ut sibi suisque principiis rite probatis constent, et placida nec praeoccupata mente alteram audiant partem. Quod suis disciplinis Physici, Mathematici, Historici, Philosophi, alii, id suae disciplinae Theologi vindicare pergant, eam scilicet libertatem, qua nullum neque philosophicum, neque ecclesiasticum iugum, sibi imponi sinant. Ipsi videant, qua via, qua methodo de vero ipsis constare possit ac debeat. Utrum empiriae, an sanae rationis, an conscientiae, an Sacrae Scripturae aut traditionis auctoritas in Theologia agnoscenda est? Equidem iam nihil definio, verum hoc statuo, ipsi Theologiae, ipsis Theologis ad quaestionem illam gravissimam esse respondendum. Si empiriae aut sanae rationi praecipuas tribuis partes, quaeritur quarum illae rerum iudices esse possint. Si ad conscientiae amussim omnia conformanda esse et iudicanda statuis, constet de eius foro. Si ad Sacram Scripturam aut traditionem provocas, probandum tibi est te iure hoc facere. Qualecumque principium est, ex quo proficiscantur Theologi, penes Theo-

logiam est de eo iudicare. Non tantum libere profiteatur, quid verum, quid falsum esse iudicet, sed etiam libere ea tractet, quae principia spectent omnis cognitionis humanae, et methodum viamque, qua ad veri cognitionem pervenire possimus, ab omni partium studiis aliena, nullius unquam ancilla.

Haec tu iure dixisse videris, dicat forte quis; at videris tantum, minime vero iure dixisti. Certe Theologiae non consentaneum est, scholae cuidam philosophicae ita se mancipare, ut eius ancilla sit dicenda. Neque Theologos veri amantes decet, ita in iis, quae ab aliis dicta sunt, acquiescere, ut ab accurata rei indagatione abstineant. Ne autem obliviscaris quaeso, Societatem quandam exstare, cuius maxime interest, qualis sit doctrina, quam Theologia doceat, qualia sint dogmata, quae Theologia promulgeat. Ecclesiam intueare Christianam! Quid de religione, de Deo, de Iesu Christo doceant Iudaei, quid Theologi Christianorum sacris non addicti statuant de doctrina Christiana, ad Ecclesiam Christianam id parum refert. Qui vero Christianae Ecclesiae socius Theologiae operam navat, is ne ab ea petat, ut probet, eum nullo prorsus ecclesiastico vinculo constrictum libere omnia inquirere. Namque libera illa disquisitio atque indagatio quo duxerit satis notum est! Num forte Ecclesiae commodo et emolumento ii prospiciunt, qui Straussii et Renani aliorumque vestigia legentes, Euangelio fundamentum suum atque argumentum subripiunt? Qui aut Pantheismo aut Naturalismo, seu clam seu palam faventes, nullum liberae Dei actioni locum relinquunt, quippe quorum Deus nil est nisi legum naturae complexio, hi narrationum, miracula tradentium, fidem historicam, Euangeliorum, in primis Iohannei, authentiam non negare non possunt. Quid iuvat, alios doctrinam profiteri de Deo omnia gubernante, si mundus atque adeo ipse homo machina fere habendus est, ita ut de libertate hominis morali, de culpa peccati, de peccato proprie ita dicto, de discrimine bonum inter et malum morale, sermo tandem esse nequeat, quippe quae cuncta, si vel nomine nobis relinquantur, re tamen tollantur; quibus cunctis sublatis, quid tandem de Euangelii Iesu Christi et Apostolorum, longe alia ponentis aut nuntiantis, argumento existimandum est? Libertate fruatur Theologia, ut esse possit Theologia Christiana, ut Ecclesiae Christianae prosit, eius causae serviat, eius doctrinam exponat, eam tueatur atque

defendat. Ne autem Ecclesiam Christi rogatam velis, ut talem Theologiae libertatem agnoscat, qualem tu ei tribuendam esse statuisti! Nisi hanc tuam sententiam mutas, *οὐκ εἶ φίλος τῆς ἐκκλησίας*, non es amicus Ecclesiae! Hoc cogita, matrem Theologiae esse Ecclesiam Christianam. Ecclesiam non creavit Theologia Christiana, sed in Ecclesia orta est. Eius igitur commodis prospiciat, neve umquam quid moliatur, quod illi nocere possit. Videat Theologia, ne quid Societas Christiana detrimenti capiat, videatque Ecclesia, an hoc suo honorificentissimo munere Theologia ea qua par est sedulitate fungatur! —

— Audio, et plura iis inesse, quae vix negari posse videantur, concedo. At minime eo ducunt, ut sententiam de Theologia libere excolenda atque tractanda mutandam esse censeam. Ipsa videat Ecclesia, quid in suum faciat commodum. Theologiae autem ne ecclesiasticam iniungamus servitutem. Iugum haec ferre recusat et recusare debet, si veritatis imperio se submittere velit. Ecquid vero Ecclesiae faciendum est, ut Theologiam sibi subiiciat subiectamque teneat? Obstringere fortasse iureiurando Theologos, ut ecclesiae suae doctrinae addicti nihil doceant, nisi quod huic conveniat? Licebit ita, exempli gratia, Theologo, Reformatae Ecclesiae socio, Romano-Catholicorum dogma de Ecclesia, Lutheranorum Christologiam, licebit Materialismum et Naturalismum et Pantheismum libere inquirere. Ne vero eadem libertate utatur in religionis doctrina Ecclesiae reformatae tangenda! Estne Ecclesia reformata falli nescia? Num suae doctrinae liberam indagationem pertimescit? Nonne ipsa tandem eiusmodi disciplinam contemnendam esse atque nihili faciendam censebit, quae sibi placeat repetendo aut confirmando proavorum dogmata? Num veri studium vel cogitari possit absque veri libera indagatione?

Ne multa. Amicus Ecclesiae est is, qui Theologiae libertatem vindicet. Ipsa Ecclesia Christiana, si qua societas, veri amans esse debet atque studiosa. Nomen profitetur Domini, qui Lucem Mundi et Veritatem se dixit, cuiusque Spiritu, qui Spiritus Veritatis est, imbuti sunt quotquot fidem ipsi habent. Horum maxime interest, quam accuratissime indagari quaecumque de Iesu Christi persona, vita, doctrina, opere tradiderunt ac nunciarunt eius discipuli. Ne quis putet, qui fausta quaevis Ecclesiae exoptent, eos propterea oportere, Theologiam et in ea liberum veritatis inda-

gandae studium odisse et impugnare. Ecclesiae facem praeferat Theologia atque praeferre pergat.

Num igitur dicimus, disciplinae theologicae omnia licere? Num Physicis, Historicis, Philosophis omnia facere licet? Num cuiquam licebit, id pro vero habere, quod ipsius principiis, aut iis quae aliunde constent, pugnare luce clarius est; id reiicere atque negare, quod ipsius principiis consentaneum esse appareat? Iisdem scilicet legibus adstricta est Theologia, quibus omnes disciplinae doctrinarumque cultores omnes adstricti sunt. Omnibus haec summa est lex: Veritati te submittas; quid verum sit ipse libere inquiras.

Iam videndum est de Ecclesia Christiana. Liberam eam dicimus, ubi se ipsa regit, eas sibi ferens leges, quas sibi consentaneas existimet, neque a quoquam impedita, quominus suas ipsa res agat, seque ut ipsius natura postulat explicare possit. Liberam eam esse oportet, hac conditione, ut ne reipublicae quid detrimenti afferat. Huius neque regina est, neque ancilla. Societas est eorum, qui Deum colunt, Iesu Christo fidem habentes eiusque nomen profitentes, quae societas originem suam ducit ex eo, quem Dominum suum agnoscit, Iesu Christo, cui arctissimo vinculo iunctam se esse gloriatur. Divisa, eheu, est in varias familias, quae etsi in haud paucis inter se dissentiant, vel sic consentiunt in pluribus iisque gravissimis. Quod universe de Ecclesiae Christianae libertate statuendum esse censemus, idem illud de singulis familiis, ex quibus Ecclesia constat, statuimus. Singulae fidem suam libere profiteantur, cultum publicum atque privatum suo quaeque modo instituant, caeteris scilicet concedentes quod sibi ipsae postulant. Habeat canones et decreta concilii sui Tridentini Ecclesia Romano-Catholica; extollat Vulgatam suam, Mariam suam, Matrem Dei, immaculatam illam; encyclicas suas dare pergant Pontifices Maximi, varios damnantes errores, quos exsecrabiles esse censeant. Haud minore autem fruantur libertate Protestantes, quibus liceat audacter negare, extra Ecclesiam Romano-Catholicam nullam esse salutem, et alios errores et Mariolatriam improbare, encyclicas ridere, cuiusvis generis falsa Euangelio nuntiando et disputando impugnare; liceat fidei suae doctrinam exponere, vindicare, illustrare.

At hoc tibi facile concedimus, ita nonnullos loquentes audire mihi videor, Ecclesiam Christianam liberam esse oportere in fide sua profitenda. Hoc autem teneas, Theologiae munus esse, Ecclesiae fidei doctrinam inquirere, in examen vocare. Ecclesiae facem praefert Theologia. Quod corpori humano sunt oculi, quod homini est ratio, id Ecclesiae est Theologia, qua videt illa atque cogitat. Theologia duce Ecclesia veritatem religiosam in dies penitius cognovit, quodque Theologi accurate indagarunt verumque esse comperti sunt, id Ecclesiae tradunt, atque ecclesiastico munere fungentes Ecclesiae sociis nuntiant ore scriptisque. Haec est Ecclesia libera, quae fidei profitendae atque docendi libertatem omnibus suis sociis, Sacrorum etiam ministris, concedit. Libera autem non est Ecclesia, quae doctrina quadam se constringendam censet atque constringit, sociosque suos, in primis Euangelii nuntios, lege quadam adstringit adstrictosque tenet. Manus haec post terga vinxit.

His continuo respondendum esse censeo, Ecclesiam Christianam procul dubio doctrina quadam constrictam esse, neque hanc Euangelii nuntiis veniam dari posse, ut nulla plane lege adstrictos se esse existiment. Scilicet sunt quaedam principia atque placita, quibus Ecclesia Christiana, nisi interire velit, in perpetuum resistere debet. Orta enim est e fide Iesu Christo habita, tamquam Dei filio unigenito, hominum Sospitatori. Hominum autem Sospitatorem eum habuerunt primi eius discipuli, non tantum propter ea, quae dixerit, verum etiam propter ea quae fecerit atque passus sit. Neque hoc tantum, sed etiam atque in primis eius personae rationem habebant. Quotquot initio Christo nomen dederunt, nullo modo hi dubitarunt, quin ipse ille, quem hominem fuisse iis constabat, omnibus hominibus ita praestiterit, ut unicus Dei filius dicendus esset. Hunc novae vitae auctorem agnoverunt, quem morti quidem traditum esse sciebant, e mortuis autem in vitam rediisse audiverant. Neque in Iudaeis, neque in Ethnicis facile quemquam reperisses, qui Iesu tamquam Christo et Domino suo fidem haberet, simul vero in vitam eum rediisse negaret. Iesum e mortuis in vitam reducem primaeva Ecclesia professa est. Iesu in vitam reditus fundamentum fuit fidei, quam ei habuerunt. Hac fide, Iesu e mortuis redivivo habita, fortes erant Ecclesiae primaevae socii. Hac fide profitenda, Euangelio, cuius ipse Iesus redivivus

argumentum et veluti meditullium est, nuntiando, fortis erat atque efficax ipsa Ecclesia. Hoc Euangelium, hanc fidem, Christo redivivo habitam, aut tuebitur Ecclesia, aut interibit, quod ita recte intellexit, ut quidquid variae in quas divisa est familiae suo quaeque modo de doctrina fidei statuerint, cunctae tamen Iesum Dei filium e sepulcro in vitam reducem professae sint. Iam suam sibi viadicat libertatem hac quoque nostra aetate, ut iis resistere queat principiis atque placitis, quibus fidei doctrinae fundamenta labefactentur et collabefiant. Euangelium, quo per undeviginti saecula viget atque floret Ecclesia, si totam spectamus, Theismi q. d. nititur principiis, Theismi scilicet, qui Deum habet mundi creatorem liberum, ita a mundo discernendum et mundo coniunctum, ut absurdum non sit, fidem habere iis, quae de Iesu persona, fatis et factis mirificis, naturalem rerum ordinem excedentibus, tradiderunt Euangelistae. Notum autem est, quid hac de re plures hodie statuant. Nequaquam verisimile est, nequaquam probari potest, (ita haud pauci, atque alii aliter,) aliquid umquam accidisse, quod non ex naturae legibus explicari possit. Mirifica illa, quae Ecclesia »miracula" vulgo dicit, non pertinent ad historiam. Narrationes, quae mirifica illa tradunt, eatenus quatenus illa tradunt, nulla fide digna sunt. Miraculum »supranaturale" quid est, et id, quod supranaturale dici meretur, »supradivinum" dicas. — Quod si verum est, sed verum esse negat Ecclesia, neganda sunt ea, quibus primi Iesu Christi discipuli fidem suam, Iesu Christo in cruce interfecto habitam, superstruxerunt. Quo igitur iure, quaeso, postulabis, ut eiusmodi placitis benevolas Ecclesia praebeat aures, Ecclesia, quae procul dubio non exstitisset, si de Iesu nil praedicassent aut praedicare potuissent eius discipuli praeter ea, quae hodie de eo statuunt Theologi, qui recentiores vulgo dicuntur? His docendi in Ecclesia munus tradi probare non potest Ecclesia, nisi originis suae plane immemor vigere se posse existimet, etiamsi Dominum suum ignoret. Libertate sua utens Ecclesia principiis atque placitis se opponit, quae fidei suae doctrinae adversa sunt; eos, igitur, qui eiusmodi principiis atque placitis faveant, Euangelii in coetibus Christianorum ministros recipere atque habere recusat.

Quod quam plurimis displicere, non mirum. Quid tu, ita haud pauci, libertatis Ecclesiae te patronum geris, ac si nos, recentiori Theologiae ad-

dicti, Ecclesiae ruinam moliremur? Libera sit Ecclesia, libera Theologia, libera Theologia in Ecclesia! Ecclesiae, cuius libertatem nos ipsi strenue vindicamus et vindicandam esse censemus, liceat confessionem suam emendare, immutare, liceat ei luce uti, quam recentioris aevi disquisitiones attulerunt. Quodsi verum est, multa ab Euangelistis et Apostolis de Iesu tradita esse, quibus fidem habere nequit recentior aetas, longe alia de rerum natura eiusque legibus atque de modo quo Deus operari soleat edocta; quodsi verum est, miraculis nullum prorsus locum relinqui in hodierna de mundo et de Deo, illi coniuncto, cogitandi ratione, quidni Ecclesiae liceret, diversam de Iesu profiteri sententiam ab ea, cui huc usque calculum adiecit? Alia certe recentioris Theologiae de Iesu doctrina est, atque Ecclesiae quatenus confessionalismo favet. At ne obliviscaris, Theologiae recentioris principiis favere quam plurimos Ecclesiae socios, honoratissimos illos atque excultos. Singulis Ecclesiae sociis — iam unice de Protestantium familiis sermo sit — Codicis Sacri libere interpretandi, religionis doctrinam indagandi et eam libere iudicandi, ius competit. Quis eos prohibeat, quominus iure suo utentes, omnibus rite perpensis, recentioris Theologiae doctrinam comprobent? Aliis nihil obtrudere conantur, suam autem sententiam atque fidem libere profiteri cupiunt. Ne a ministerio ecclesiastico arceantur qui recentioris Theologiae principiis imbuti sunt. Iis omnino, crede nobis, opus est, propter huius aetatis studia atque desideria. Realistica est haec nostra aetas, realitatis studio ducitur, realitatem sitit! Alia Christologia nobis opus est! In iis, quae superiora saecula tradiderunt, haec tempora acquiescere nequeunt. Realitatis illi studio subvenit recentior Theologia, ut eos, quos a se abalienavit dogmatismo favens Ecclesia, Ecclesiae reconciliet. Suo igitur commodo et illorum saluti ita prospiciat Ecclesia, ut aetatis recentioris studiis se accommodet, atque de emendanda ac purganda ipsius fidei doctrina, de Euangelio his nostris temporibus accommodato, serio cogitet. Libera sit Ecclesia a Theologorum dominatione, at ita quoque liberi sint Theologi, veri amantes, in Ecclesia, ut quae recentior Theologia ipsos docuerit ea ad ministerium ecclesiasticum vocati libere coetui Christiano nuntient.

His haec fere respondeo. Qui Ecclesiae Christianae sociis annumerari velit probe is secum reputet, quid sibi sumat. Ecclesiae doctrinae, quod

ad rei caput atque summam, assentiatur! Sin minus, quid ipsi faciendum sit, videat, videat et Ecclesia. Facile quidem conceditur, Ecclesiae nihil obtrudere eos, qui eius socii esse pergunt, etiamsi longe alia de Iesu Christi persona et opere salutari profiteantur, atque ea, quae Ecclesia dies suos festos celebrando de eo profitetur. Aliter autem existimandum est de iis, quibus sacra in Ecclesia ministranda sunt, quibus Euangelii nuntiandi, quibus docendi munus in Ecclesia traditur. Fingas tibi ad Cathedram Petri, quam vocant, evectum aliquem Lutheri aut Calvini sectatorem; num hunc, postquam talem eum esse apparuit, ferre deberet Ecclesia Romano-Catholica? aut sacerdotem, Reformatorum principiis imbutum; num hunc ferre debet? Num libera esse Ecclesia Romano-Catholica dici possit, si talem Pontificem, talem sacerdotem ferre cogatur? Minime voro —! Neque aliter existimandum de Protestantium familiis, ferre coactis sacrorum ministros, qui plane contraria nuntient iis, quae de Euangelio, de Iesu Christo, hominum Sospitatore, unanimo semper consensu professa est Ecclesia Christiana! Non omnia prohibere potest Ecclesia, non singulos suos socios in examen vocare, ut inquirat, quid de singulis fidei doctrinae capitibus sentiant. Hoc autem, nisi omni libertate amissa, ei liceat, sacrorum ministris ius denegare doctrinam nuntiandi, placita tradendi, quibus totum Euangelii argumentum invertitur. Theologiae atque Theologorum libertatem, veri igitur liberam indagationem, ne ullis constringat limitibus Ecclesia; huius autem libertati ne quid detrahat Theologia, ne quid Theologi derogent. Euangelii ministerium est ministerium ecclesiasticum, non vero munus theologicum; prouti Ecclesia non est Academia. Aliud doctorum Academicorum, aliud Euangelii interpretum officium atque munus. Qua illi gaudent libertate hi non gaudent. Quod probe teneant qui in Ecclesia sacro ministerio fungantur. Ipsi ut ad illud ministerium admitterentur ultro petierunt, ipsisque a nemine coactis Euangelii nuntiandi munus oblatum est. Ne igitur Ecclesiae intolerantiam tamquam vitium, ne persecutionem et vexationem conquerantur ii, qui Societatem Christianam tuentem reperiant Euangelium Domini sui, tuentem omnem suam spem atque exspectationem, tuentem fidem suam atque libertatem. Ecclesia Christiana ut originem suam non debet recentioris aevi sapientiae, ita nec vim suam, nec incrementa sua, nec salutem, quam hominibus peccatori-

bus, peccato miseris, Dei Iesuque nomine nuntiat, sapientiae illi accepta refert. Ecclesiae non est, Euangelium Christi ad huius aevi studia atque disideria componere; multo magis huius aevi hominum est, Euangelio Christi fidem habere. Realitatem sitiat haec nostra aetas. Neque Ecclesia sitim illam explere conatur fabellis, ubi Christi Euangelium nuntiat prouti nuntiatum est a primis eius discipulis. At vero quaerendum primum non est, quid sitiant nostri aevi homines, ut audito responso cogitetur de Euangelio immutando; multo magis Ecclesiae quaerendum est, quid illis opus sit ad animi salutem aeternam. Ut verbo dicam: Non Euangelii est, suum argumentum mutare, verum huius aevi hominum est, quatenus non Euangelium sitiant, animum mutare.

Fieri potest, ut quis his auditis obiiciat: Nihil igitur iuvat, theologicae disciplinae operam dare eo consilio, ut Ecclesiae Christianae de veritate penitius constet. Quidquid e tenebris in lucem protrahunt Theologi, fructus disquisitionis nullam Ecclesiae utilitatem afferunt, nisi quatenus illius doctrinam confirment. Theologiam, nisi Apologetices partes agit, non audit Ecclesia Christiana. Huius doctrinam, quod ad rei caput et summam attinet, etiamsi fabellis annumerari mereretur, reiicere nefas esset. Magna argumentorum, doctissimos viros in admirationem rapientium, copia probes, mirifica illa, quibus Euangelia scatent, numquam accidisse, neque religionem aut pietatem pessumdari, etiamsi Iesum unicum Dei atque hominum mediatorem esse neges; surda est Ecclesia. Semper idem, en eius symbolum! Semper eadem, en eius regulam! Haeccine eius libertas? Nequaquam libera est. Traditioni se mancipavit.

Ipsa iam pro se verba faciat Ecclesia, quam haec fere dicentem audire mihi videor. Grata equidem concedo, bona multa iis inesse, quae Theologi, quamcumque viam ingressi, de religionis doctrina agentes, disquisitionibus, disputationibus, scriptis, in medium protulerunt. Laudandum est infatigabile studium, laudandus indefessus labor. Vos, Theologos, scholas habere, systemata condere, meam fidem vel confirmare vel oppugnare, ne quis prohibeat. Omnia inquiratis. Doctrinam, historiam, originem meam, quaecumque spectant Dominum meum, ad carceres a calce regressi in examen vocetis. Minime vos studiaque vestra extimesco. Veritatis nuntius me genuit, aluit, sustentavit, incolumem servavit ad hunc

usque diem. Si quis intolerantiam et persecutionem atque vexationem querendi causam habet, ego habeo. Vos pergite ut coepistis. Quae vera mihi inesse videntur disputationibus vestris, haec in usum meum convertam. Caeterum, originis et historiae meae me numquam immemorem reperietis. Semper idem eatenus persequar, quatenus Dominus meus Iesus Christus heri hodieque idem est et in saecula. Semper eadem sum eatenus, quatenus fundamentum quo nitor immutabile, Spiritus quo ducor, Dominus cuius nomen profiteor, immutabilis est, atque fundamento illi innixam, Spiritu illo ductam, Domino illi iunctam me scio atque sentio. Semper idem mihi cordi est, in dies crescere, augeri, ad perfectionem pervenire in Christo, qui est caput meum. Semper eadem esse cupio, corpus scilicet Christi, e mortuis in vitam revocati. Vos, Theologi, qui vos "recentiores" esse gloriamini, quominus et alia, et vero Domini mei Iesu Christi in vitam reditum negetis, prohibere nec possum nec volo. At vero hoc prohibere conabor quantum potero, vos ad sacra ministranda vocatos mea auctoritate intra meos parietes doctrinam nuntiare, quae Euangelio de Christo, mortuo pro peccatis hominum, in vitam revocato propter iustificationem eorum, locum nullum relinquit. Libertate vestra gaudentes atque utentes, vos ipsi ecclesiam condere conemini ope Euangelii vestri et Christologiae vestrae! Novum exstruatis aedificium! Peritos vos praestate architectos! Nil vobis invidebo. Ecclesiam vos nequaquam condituros esse, quae id efficiat, quod Dei gratia effecisse mihi datum est, hoc mihi constat. Ridetisne? Scio, a vobis ludibrio haberi eos, qui sibi constare profiteantur id quod vos forte existimetis in dubium esse vocandum. At nihil moror. Rideatis. Omni qua valetis doctrinae copia in me irruatis. Libera sit vestra disciplina; meam autem ego mihi regionem vindicabo, neque me subigi patiar a vobis, id negantibus quod mihi omnium articulorum fidei meae primus ac princeps est. Libertatem meam tuentem me reperietis!

Quid vos sentiatis, A. A., nescio. Mihi iustam causam dixisse videtur Ecclesia, neque dubito, quin coram aequis iudicibus causam teneat. Unicuique licere in Ecclesia Christiana, sacri ministerii munere fungenti, nuntiare quidquid ipse velit, haec non vestra sententia est. Etenim est modus

in rebus, sunt certi denique fines. De modo sub iudice lis sit, de finibus disputent Viri docti. At modus est, nec fines deesse videntur. Ecclesia ipsa de modo et de finibus audienda est, ut suam tueri possit libertatem.

Utrique igitur, ét theologicae disciplinae, ét Ecclesiae Christianae, satisfieri opinor, si utriusque libertatem ea quam breviter exposui ratione omnes vindicant. Libera sit Theologia, et quod consequens est, institutio theologorum, sacro ministerio destinatorum, ab omni patrocinio ecclesiastico. Libera sit disputatio theologica, ut luce clarius pateat, quid opinionum commentis, quid veritatis effatis accensendum sit. Libera quoque sit Ecclesia ea libertate, qua ei opus est, ut thesaurum, ipsi traditum, in sociorum suorum et gentium, Deo Christoque fidem nondum habentium, salutem conferat; quod ut facere possit, liceat ei se opponere illis, quorum doctrina Christianae fidei fundamentum divellere, Euangelii apostolici argumentum totum quantum mutare, merito aestimatur. Ita suam cuique tribuentes, Theologia et Ecclesia Christiana non adversariorum instar inter se oppositae erunt, verum aequitatis amantes, excesae invidiam, sua utraque via ac ratione religioni prodesse studebunt, in humani generis salutem, in Dei gloriam.

Vos autem, Auditores humanissimi, ea quae de libertate, cum Theologiae, tum etiam Ecclesiae Christianae vindicanda disputavimus, aequitati obtemperantes libere iudicatote.

Ad alteram eorum quae mihi peragenda sunt partem pergo, fata huius Academiae, quae hoc anno fuerunt, narraturus. Quibus laeta inesse atque tristia, prospera et adversa, quis miretur? Ea, quae dolori nobis fuerunt, prius commemorabo.

Quod satis diu nobis minitabatur, tandem id animum nostrum percussit. Qui rude donatorum Professorum unus nobis superstes erat, collega maxime

venerandus, fato functus est. Lugemus Hermannum Bouman, neque illum tantum, sed virum quoque clarissimum, cui supremum diem iam instare minime suspicabamur, Simonem Karsten. Eiusdem mensis Maii die VII hic nobis ereptus est, die autem XIV Boumannus. Tristes dies, quorum memoria non delebitur. Quantum est quod utriusque viri, doctrinâ, pietate, virtute conspicui, desiderium nos tenet! Singulorum facta et merita, uti par est, narrare et celebrare, longum est. „Paucis" egregios duumviros memorare, temporis angustiae, eos „laudare" gratus animus et pietas iubent.

Hermannus Bouman, Frisius [1]), a teneris inde discendi amore ac studio flagrans, corpore debilis, fortis animo, omni virium intentione literis puer iam operam dedit, iuvenis dare perrexit, ad ultimum vitae stadium non dare non potuit. Gymnasii Velavici alumnus — Harderovicum enim migravit pater, vir plurimum venerandus, ex Frisiae pago, ubi pridem Euangelium nunciaverat — egregia Boumannus noster institutione usus est, cum Gerardi Knoopii, tum Iani ten Brink. Quindecim annos natus, anno huius saeculi quarto, Academiae Gelricae civibus adscriptus, scholis se tradidit virorum clarissimorum, qui tunc temporis illam ornabant. Kemperum audivit. Iohanne Henrico Paravio duce literarum orientalium cognitionem sibi comparavit. Iohannis Clarissii discipulus fuit. Quid huic viro celeberimo, huic praeceptori eximio Boumannus debuerit, ipse, ut omnes norunt, saepius gratissimo animo significavit; quanti eum fecerit, in aeternam desideratissimi viri „memoriam" disertus scripto praedicavit. Egregie in suos usus convertit quaecumque per septem illos annos, quos in Academia degebat, ei suppeditarunt clarissimorum virorum institutio atque lectiones. Multifaria doctrinae copia instructus, literarum cum antiquarum, tum recentiorum valde peritus, theologus eruditus, stadio Academico peracto, in Euangelii antistitum ordinem receptus est, viginti tres annos natus. Per undecim annos verbi divini ministerio fungens, primum in coetu Oostermeeriensi-Frisio, deinde in ecclesia Finsterwoldensi, laboris patiens, iis, quorum pastor erat, omni modo prospiciens, gravissimo muneri totus fuit dicatus. Neque a literarum et theologiae studiis se detrahi

[1]) Ydaardae in Frisia natus d. XI m. Febr. a. MDCCLXXXIX.

sivit. Frisii nomine inclaruit! Ecce, Frisium, doctissimum illum operis Palmiani censorem, vocat Academia Traiectina. Latere diu non potuit is, qui se ostendere noluerat et vel sic conspicuus factus erat. Huc autem vocatus, ut Clarissimo Gabriëli van Oordt successor daretur, dubius haeret vir non timidus, sed modestus. Dubitantem adhortantur amici, adhortatur in primis Clarissius. Caetera novimus. Professoris Theologiae munere, quod anno huius saeculi vicesimo tertio auspicatus est, per trigenta sex functus est annos, usque ad annum, quo septuagenarius rude est donatus. Professor Traiectinus occasionem nactus, perpetuo in Theologiae atque literarum studio versandi, ea ita usus est, ut quam plurimis, in primis autem discipulis, futuris Theologis, omni quo posset modo prodesse studeret. Notum est, quantum se in scholis suis habendis, in Theologia Naturali exponenda, in Critica et Hermeneutica S. tradenda, in Exegesi cum N. tum V. Foederis tractanda, quantum aliis disciplinis tradendis se praestiterit. Egregie de viro Clarissimo scripsere collegae coniunctissimi ter Haar et van Oosterzee. Novistis virum, in laborando multum, in legendo insatiabilem, tenui corporis valetudine utentem, ingenii animique dotibus, iudicii acumine, doctrinae magna copia excellentem. Mirum quantum memoria tenuerit, quam suaviter ex doctrinae suae thesauris depromta cum aliis communicaverit, lubentissime, nisi patrium res postularet, latino, quem in deliciis habuit, utens sermone. Sacrorum librorum, in primis Novi Foederis, neque minus Veteris interpres fuit acutissimus, quod probarunt lectiones eius hermeneuticae et exegeticae, per longam annorum seriem habitae; quod probat etiam commentarius perpetuus in Iacobi epistolam, prelo a sene venerabili paratus, cuius tamen commentarii introitum, eheu, non absolvit. Quanti historica studia fecerit, testantur eius scripta, testabantur quas de Philosophiae de Deo historia habere solebat lectiones. In primis praestantiorum virorum vita narranda delectabatur. Ipsum audiatis loquentem. „In permultis illis ac diversissimis," inquit, „quas vel inquirendo persequi possumus vel scribendo, late patentis Historiae partibus, nulla facile mihi esse videtur et ad cognitionem iucundior, et ad narrationem suavior, et ad imitationem fructuosior, et ad omnem vitae usum uberior, quam quae versatur in singulorum hominum, hac illave virtute excellentium, fatis informandis et rebus gestis et vero

characteribus." — Quid mirum, in hoc scribendi genere multum fuisse virum, quem aliquando dicere meministis: »Militum quidem animos, quamvis feroces ac bellis efferatos, sodalibus, qui eadem in acie eosdem adversus hostes depugnaverant, prostratis caesisque, vehementius subinde commoveri novimus. Nobis igitur, quorum mentes mitiora ac sanctiora studia ad maiorem flectere ac componere lenitatem atque humanitatem par est, nonne dedecori esse ac turpe censendum est, ita sociorum oblivisci, ac si »soporiferae biberimus pocula Lethes"? — Accessit, quod gratus eum animus ad scribendum haud raro impelleret, quum iustae virorum praestantissimorum existimationi aliquid detractum esse existimaret. Ex hoc defunctos pie colendi studio originem ducunt Memoria Iohannis Clarisse, Theologi; Chartarum Theologicarum pars haud exigua; eximia Academiae Gelricae eiusque Professorum historia; ipsumque illud studium eum incitasse videtur, ut librum conscriberet, quo ageret de Theologia, iisque viris, qui eam in Neerlandia coluerunt sub finem superioris saeculi atque hoc nostro saeculo. Sunt qui se laudari ab hominibus ament, neque tamen ipsi ad alios laudandum proclives esse videantur. Sunt, qui alios laudent, ut ipsi laudentur; quibus notum illud: »si vis amari ama," idem valet atque: »si vis laudari lauda;" »si vis ut tibi adulentur, ipse adulare aliis." Non item Boumannus. Laudabat ut laudaret, ut debitas solveret laudes. Boumanno, bonorum virorum laudibus suum tribuenti pretium, easque, meritas scilicet, sibi honori esse existimanti, gratum erat atque dulce, data aut arrepta occasione praeceptorum, collegarum, aequalium, fato functorum, laudes dicere eorumque in disciplinam theologicam, philosophicam, historicam merita celebrare. Viros egregios laudatore destitui atque carere, qui ipsorum res gestas librosque ab oblivione vindicaret, nefas ei videbatur, iis parentare religio ei erat. Caeterum ne quis putet, etiamsi nonnumquam in laudando nimis facilis fuisse videri possit, animum ipsi defuisse ad candide atque ingenue sententiam suam profitendam, ubi quod laudaret et comprobaret non inveniri censeret. Ad laudanda bona procliviorem se dixit, quam ad acriter castiganda mala, quae quidem non nimis maligne rei sacrae arcem petere ipsi viderentur. Reprehendere vero audebat id, quod reprehensione dignum existimaret. »Absit profecto," ipsius verba sunt, »ne seculo mancipem me vendam ac pedissequum!

Neque unquam Temporis, quem nonnulli dicunt, Genius ita me vel retrahet, spero, ut quaecunque Patribus placuerunt, ea intempestiva tuear sedulitate, vel contra protrudet, ut omnia aut pleraque, quae a novitate, eadem a veritate commendationem habere iuvenili opiner ac contendam levitate." Sui iuris esse voluit. Plerique Theologi, de ipsius sententia, ea quam vixit aetate, in duo adversa, ubi militarent, veluti castra secesserant, quorum alii propter doctrinae ecclesiasticae studium ac patrocinium laudari volebant, alii propter liberalitatem ac sentiendi libertatem; "illis," ait, "antiqua splendent; his recentia arrident. Quamquam neutri — ita ille — satis sibi constare videntur. Media quadam acie, et ab horum et ab illorum castris aequali fere spatio disiuncta, moderati non pauci se continent ac consistunt nostrae disciplinae cultores, pacifici illi, prudentes, sibi non nimis placentes. Hi neutrarum partium esse malunt, quam vel in his vel in illis stipendia facere castris adversis. Mediam hanc ac modestam viam rationemque Sacrarum Literarum in studia incumbenti mihi semper sequendam putavi." Ita vir optimus, qui viam illam, quam rectam esse sibi persuasum habebat, ad extremum vitae cursum tenuit. Quod de nonnullis et antea et his nostris temporibus dici potest: quantum mutatus ab illo! hoc in Boumannum non valet. In rebus gravissimis, euangelium, theologiam, philosophiam, ecclesiam spectantibus, sententiam non mutavit. Tenax propositi vir sibi constitit, constitit sibi et in aliis et in eo, quod a pueritia usque ad supremam horam vitam non vitalem duceret, nisi literis ac studiis operam dare posset; litteris cum sacris, tum humanioribus, quas dicunt, studiis cum historicis, tum philosophicis. Quod ad extremum stadium probavit, quippe quem pridie eius diei, quo animam reddidit, sero reperire potuisses, introitum in commentarium, quo Iacobi epistolam explicaverat, si fieri posset absolventem. Laboris et cuiusvis fere generis doctrinae amore et studio singulari ardebat et flagrabat, Clarissii discipulus non tantum, sed etiam filius dicendus. Magnos ita sibi comparavit scientiae thesauros, quos quatenus in scriptis suis deposuit, serior quoque aetas debitis laudibus celebrabit. Quantum valuerit in difficilioribus historicarum disquisitionum laboribus exantlandis, testatur praesertim memorata iam "Historia Academiae Gelricae," opus cui multam omnino operam impendit, et quo monumentum sibi aere perennius exegit.

Quaerenti autem, cur Academiam Hardervici quondam fundatam tali fatorum narratione illustraverit, respondet et introitus, et vero pulcra illa, libro adiuncta, Oratio, quam habuit anno huius saec. XL in memoriam vitae academicae Harderovicenae, qua oratione Scholam illam veluti exsequialia canentem audimus. His aliisque inclaruit vir ille, quem ut pauci eruditum, quem sollertem, quem sagacem, quem acutum novimus, et pium et modestum, quem igitur Academiam lugere cum defuncti uxore vidua et liberis, paternae probitatis memoribus, eamque secutis et secuturis, cum amicis, cum discipulis, non miramur. Hermannus Bouman nobis ereptus est; nomen et scripta manebunt!

Boumannum superstitem reliquit Simon Karsten, Rheno-Traiectinus [1]), scholae, quae hac in urbe etiam nunc floret, Hieronymianae quondam alumnus, patris Conrectoris, Nijhoffii Rectoris discipulus. Literarum studiis destinatus, optima quaevis de se speranda praebuit. Sedecim annos natus, anno huius saeculi duodevicesimo, huius Academiae civibus adscriptus, Heusdii et Goudoeveri scholis interfuit. Heusdio studiorum duce usus, philosophiae in primis Graecae mysteriis initiatus est, neque tamen poëtarum, quos Graecia tulit, scripta neglexit. Iuvenis animum Pindarus praeter caeteros incendit, cuius, ut ipse Karstenius professus est, sententiarum gravitatem, dictionis magnificentiam et venustatem admirabatur, et generosum illum alti pectoris sensum, quem totam eius poësin spirare sentiebat. Ita factum est, ut Academiae valedicens specimen literarium pro gradu doctoratus conscriberet, quo tria Pindari carmina sibi interpretanda sumsit. Quo specimine quantum doctorum virorum favorem sibi conciliaverit, novimus. Literarum humaniorum Doctor creatus per annum munere, quo iam per biennium functus erat, fungi perrexit, Praeceptoris scilicet in Schola illa, cuius aliquando discipulis ipse adscriptus fuerat; deinde vero ab anno huius saeculi vicesimo sexto, aetatis vicesimo quarto, Professoris titulo ornatus Bruxellis in Athenaeo regio linguam Graecam et Latinam docuit. Sexto anno post Scholae Hieronymianae iterum Praeceptor creatus est, sequenti vero anno Amisfurtum migravit, ad Rectoris munus in

---

[1]) Natus d. XIII m. Iunii a. MDCCCII.

Schola, quae ibi floret, capessendum. Tandem anno huius saeculi XL huc vocatus est, Heusdii scilicet, fato functi, successor creatus, atque ita per quinque fere lustra huius Academiae decus fuit atque ornamentum.

Quot et quanta ex eo exspectare reipublicae literariae liceret, iam satis superque patuerat scriptis, quae inde ab anno huius seculi tricesimo ediderat. Prodierunt enim quas recensuit et illustravit Philosophorum Graecorum veterum, praesertim qui ante Platonem floruerunt, operum, Xenophanis Colophonii scilicet, Parmenidis Eleatae, Empedoclis Agrigentini carminum reliquiae, quas ita edidit, ut de vita eorum et studiis dissereret, fragmenta explicaret, placita et philosophiam illustaret. Huic operi ut manum admoveret, Heusdius ipsi auctor fuerat. Sibi proposuit Karstenius, veterum philosophorum, eorum maxime, qui ante Platonem floruerunt, et a quibus non pauca fluxisse viderentur, quae Platonis illustravit ingenium, dispersas reliquias et fragmenta colligere, recensere. „In his, ita scriptor, principes erunt Xenophanes, Parmenides, Empedocles, Anaxagoras, Heraclitus, Democritus, aliique doctrinae ratione cum his coniuncti; fortasse adiungemus etiam Pythagoreos, Philolaum praesertim et Archytam, item Orphica quaedam et alia, prouti otium, studium, doctrinae facultas meum laborem moderabitur." Doctrinae certe facultas non defuit, quin perficeret opus felicissime inchoatum et cum maxima orbis eruditi admiratione receptum. Memoratis autem scriptis ita inclaruit Auctor, ut cathedram Literarum Graecarum et Philosophiae antiquae in Academia Traiectina sibi oblatam videret. Ad quam cathedram vocatus acutum doctorem, doctissimum interpretem se esse probavit, cúm Scriptorum Graecorum et Latinorum, tum historiae non tantum gentium antiquarum, sed etiam philosophiae antiquae. Quam egregie de hisce meruit ipsius norunt discipuli, testantur clarissimi defuncti scripta. Interpretem ac criticum prudentem eum reperies in Aeschyli Agamemnone recensendo, emendando, illustrando; in disputationibus quas de Horatio, de Ciceronis Oratione pro Sexto Roscio Amerino habuit. Karstenii autem vim et virtutem positam fuisse in philosophiae antiquae cognitione, iure mihi animadvertisse videtur Cl. Rovers, in sermone ad Karstenii discipulos habito. „Hanc ipsam eiusque historiam," inquit ille, „tam accurate norat, tam sollerter et perspicue cum universo Graecorum ingenio cumque temporum

commutatione coniungebat, ut de hoc argumento disserens non solum peritos iudices doceret, verum etiam viris aliarum disciplinarum studiosis ingenii Graeci tum ubertatem et praestantiam probaret, tum errores exponeret." Vivebat omnino Karstenius in philosophia Graecis. Philosophiae studium aliis, in primis discipulis, commendabat. Munus academicum quum auspicaretur, orationem habuit „de antiquarum literarum doctrina cum philosophia coniungenda." „Philosophiam" autem dixit, non eam, quae tota in abstrusis et obscuris argumentationibus versatur, aut res apertas et illustres subtili et spinosa oratione involvit; quam etsi non spernere, mirari potius se dixit, tamen literarum doctrinae minus consentaneam existimare se declaravit; „philosophiam" dixit eam, quae manifestis ingrediens vestigiis, hominum ac populorum studia moresque indagat, ingeniorum motus mutationesque anquirit, veri, pulcri honestique formas claris notionibus effingit. „Talis" inquit, „philosophia antiquitatis cultoribus commendanda est." Cum alias saepius, tum VII annis post, illam philosophiam laudavit in oratione „de cautione adhibenda in veritatis indagatione," quam cautionem commendantis haec quoque Oratoris verba habemus: „Si philosophiae studioso recte praecipitur illud: Sapere aude! non minus recte moneatur alterum illud: Modum serva!" Modum servabat Karstenius, vir laboriosus, quem quo magis in philosophorum Graecorum scriptis versatum fuisse scimus, eo magis dolemus, eum non omnia minoris momenti seposuisse, non caetera edidisse volumina operis supra memorati, quo Xenophanis aliorumque carminum reliquias tractavit, nec Simplicii commentariis, quos recensuit, prolegomena et annotationem adiecisse. Quod in laudem dictum esse intelligitis. Scilicet non dolere solemus, doctum virum opus quoddam non perfecisse, nisi confidimus, perfectum ac vere absolutum opus eum dare potuisse, — quatenus de perfecto atque absoluto opere loqui licet. Inchoata autem opera eum absolvere et alia prohibuerunt, et tandem dies ille supremus, qui virum nobis eripuit, magna doctrinae copia clarum atque insignem, veri studio flagrantem, maxima se modestia commendantem. De doctrinae copia verique studio omnes consentiunt. De modestia fortasse dubitatur? Quid, quod viri modestia brevi in proverbium abibit. Karstenium enim tibi fingas immodestum, acerbum, vehementem, elatum, protervum; illum scilicet, cuius

animo infixum erat Graecorum illud: *μηδὲν ἄγαν,* „ne quid nimis," cum illorum altero: *μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτρον,* coniunctum; illum, ex cuius placido vultu longe alia colligere licebat; cuius etiam effigies hodie alia omnia in memoriam revocat! Quam enim mitis erat ingenii, quam bonus, quam candidus, quam moderatus, secus sentientes facile ferens, pacis amantissimus, ita quidem, ut lites in arena litteraria non tantum non quaereret, sed etiam, ubi de amicorum sententia ei descendendum erat in arenam, ut nominis doctrinaeque famam sustentaret, Karstenius vix iis obsequeretur. Si theologus fuisset, nos theologi in irenicis, in pacificis eum numerare haud dubitassemus. Quod de Karstenio dictum ne quis ita interpretari conetur, ut tarditati aut segnitiei eum plerumque indulsisse existimet. Scilicet adversariis, si qui ei fuerint, optime quod responderet habebat, et quo responderet modo egregie sciebat. Minime dicendi aut materiam aut vim sibi defuisse in re, cum adversariis habenda, ostendit; quos vero ita tractavit, ut illum non diligere non possent. Testis est Regia Academia disciplinarum Neerlandica, cuius socius fuit peritissimus et laboriosissimus. Quid plura? Habet quod lugeat haec Musarum sedes, cui inopinato, D. O. M. moderante, Karstenius ereptus est; habet quod lugeat civitas, patria, respublica literaria; habet quod lugeat maritum uxor vidua, patrem vita moribusque conspicuum liberorum corona. At non omnis mortuus est. Nominis famam sustentant scripta laborisque exemplum. Intaminatis defuncti memoria honoribus fulget.

Hic subsistere utinam possem! At indulgere vobis et alios silere dolores non licet.

Augustissimae Matris obitum luget Rex Optimus, una cum fratre et sorore, Principibus Illustrissimis, maerente tota stirpe Arausiaca. Reginae Viduae, Annae Paulownae, obitum lugent Academiae nostrae, lugent cives cuiuscumque ordinis. Recens est, quod vulnus accepimus omnes. Quo olim Regem Augustissimum Guilielmum II amore prosequebatur Neerlandia, eo ipsius viduam, multis virtutibus claram, multis nominibus colendam, prosecuta est. Augustissimae defunctae memoriam patria servabit incolumem, haud oblitura Principis Arausiacae atque dein Reginae factae in Neerlandiam amorem; servabunt sexcenti, quibus liberalitate et munificentia sua succurrere solebat. Regi autem Augustissimo ex

intimo pectore optamus, ut solatio ei sit Euangelium et gratissima Matris memoria omniumque quos diligit pietas atque fides.

Non tantum Regem Augustissimum lugere scimus, sed etiam vestrum nonnullos, Viri Amplissimi et Clarissimi, lugentes intuemur. Vos, Viri Amplissimi van Rappard et de Beaufort, eiusdem dilectae defunctae piam servatis recordationem. Te quoque, Consultissime van Hoytema, ex tuis aliquam, quae tibi cara erat, desiderantem consolamur. Vobis, collegae aestumatissimi, de Geer, ter Haar et Brill, erepti sunt quos caritate amplexi fuistis et pio amore dilexistis. Dolorem vestrum consolatur Dei O. M. amor in vos, vitaeque futurae spes illa, quae animum erigit lugentesque Christo fidem habentes sustentat.

Neque iuvenibus optimis, Academiae nostrae civibus, atra pepercit mors. Diem obierunt Daniel Iohannes Casparus van Heel, Haganus, Theologiae studiosus, lugentis patris unicus filius, et Henricus Guilielmus Nicolaus Pik, e pago Tricht Gelrus, Theologiae Doctoribus aliquando, si Deo placuisset, adscribendus; uterque optimae spei iuvenis, ingenio, industria, moribus se omnibus commendantes. Parentibus, praeceptoribus, amicis carissimi, eheu fato functi sunt! Quum nos non mortem, sed vitam, studiis, Ecclesiae, patriae dicatam, auguraremur, eos nobis dies eripuit supremus. Vobis, commilitones coniunctissimi, qui binos illos optimos iuvenes una nobiscum lugetis, eorum nomen et exemplum et memoria incitamento sint, ut Nasonis memores dicti: „Utendum est aetate, — labiter occulte fallitque volubilis aetas," vita brevi bene utamini, ad artem longam bene discendam!

Supremam tandem horam et illi viro denunciavit frigida mors, qui Curatoribus, Professoribus, Studiosis quam plurimis, senex diu erat superstes, Iohannem dico Guilielmum Kellerman, per septem lustra fidum pedellum. Traiectinam Academiam vix nobis fingere possumus, A. A., demtis triumviris illis de Kruijff, Hulleman, Kellerman, viris probis, integris vitae scelerisque puris, quorum effigies conspiciendas nobis una eademque tabella praebet. Kellerman fato functus est mense Augusto, feriis superioris anni aestivis. Iam re vera ei feriae sint. Requiescat in pace! Senibus autem de Kruijff et Hulleman, quorum illum tremebundam esse senectutem iam experientia docet, hic autem Clarissimum

filium [1]) lugens, Deo Christoque fidem habens, fortis animo, munus suum tuetur, haud adeo facile illud, his igitur duumviris, senibus venerabilibus, omnia fausta donet Deus O. M., iisque senectutem concedat dulcem atque quietam. Patrio dicam sermone: U, waardige Hulleman, die op dezen feestdag noch de Kruijff, noch Kellerman aan uwe zijde ziet, die in uwe smart en in uw ambt gesterkt wordt door uwen God; u, die met eere grijs geworden zijt, beware de Almagtige! Hij ondersteune en vertrooste u, opdat gij uw werk naar uwe gewoonte met getrouwheid en naauwgezetheid ijverig moogt blijven verrigten. God zij met u, oude en trouwe vriend van Utrechts hoogeschool!

Vestram autem, A. A. exoptatissimi, ut et meam in memoriam alterum revocare liceat Nasonis dictum:

Venturae memores iam nunc estote senectae;
Sic vobis nullum tempus abibit iners.

Laetiora nos invitant ad gaudium. Laetiora autem memoranti mihi magno gaudio est, me vos, A. A. exoptatissimi, salvos hic conspicere. Vos praesentes adesse, Academiae Rheno-Traiectinae Curatores, Viri Amplissimi, laetor. Vos valere, incolumem et te, Consultissime van Hoytema, a Deo nobis servatum esse, nos omnes laetitia afficit. Quod facere consuevistis, Viri Amplissimi, id hoc quoque anno Academico fecistis. Academiae nostrae omni, qua potuistis, cura prospexistis. Ut alma nostra mater floreat, ut in dies nomen eius crescat, ut omnibus quantum potest satisfaciat, vobis in votis est. Vigilantibus oculis circumspicientes, revera estis Curatores! Nomen est omen. Gratias vobis ago quam maximas de cura infatigabili, quam huius Academiae commodorum habetis! Magno gaudio nobis est, quod tu, qui Curatorum collegio praeës, Vir Amplissime van Rappard, ex urbe regia huc migrasti, atque ita domum tuam in hac nostra urbe posuisti. Salve, nobilissime vir, iterumque salve! Iam te habemus, iam tu noster es! At quid dico? Te iam habebamus, tu noster

[1]) Ianum Gerardum Hulleman, Professorem ordinarium in Facultate Phil. theor. et Lit. hum. Academiae Lugd.-Bat., fato functum d. XXIX m. Maii a. MDCCCLXII.

iam eras; prouti tu, nobilissime Roëll, noster esse pergis, prouti te habemus, etsi Harlemum te possideat; prouti et vir Amplissimus Rau van Gameren nostri memor est, etiamsi nobiscum esse, eheu! raro possit! Diu nobis adsis, Vir nobilissime van Rappard! Vos, Viri Amplissimi, conservet Deus O. M., nobisque faveat per vestram sapientiam et curam et virtutem!

Amplissimo Kien, quem gravissimum munus Hagae Comitum detinet, diem gratulamur laetum, qui superioris anni mense Martio ipsi illuxit, memoriam celebranti quinque lustrorum, quibus civitatis Rheno-Traiectinae Consulis, Academiae autem nostrae Curatoris munere functus est. Multis nominibus eum cum huic civitati, tum Academiae nostrae profuisse novimus. Consulem alacrem illum cognitum habent cives; Curatorem, Academiam nostram singulari amore prosequentem, illum magni facimus. Plura ei Deus O. M. lustra concedat, quibus quam plurima bona atque fausta ei eveniant in muneribus suis gravissimis gerendis. Civitati et Academiae nostrae insignibus ingenii, quibus valet, dotibus ita prosit, ut exemplo suo probare pergat, Academiae, quin et civitati Traiectinae magno esse emolumento, quod huius urbis Consul collegio Curatorum adscriptus est.

Vobis, Viri Clarissimi, Collegae aestumatissimi, gratulor de anno Academico feliciter peracto. Dolorem aut anxietatem excepit laetior dies, ubi subinde cura domestica aderat, »vetans lumina dulcem carpere somnum." Deo vobiscum gratiam persolvo. Clarissimos ter Haar et Hoek ob adversam valetudinem, Mulder autem et Opzoomer negotiis impeditos, hodie abesse, omnino dolemus. Nostri ordinis iam tu Nestor es, agmen iam tu ducis, pie nobis colende Richarde van Rees, Vir Clarissime, qui sapientiae senectutis iuvenilem ardorem felici connubio iungis! Sit tibi longa vita, multis divinae gratiae beneficiis cumulata; tibique laetos concedat Deus proximo anno dies, quo celebranda tibi erit, Ipso moderante, memoria muneris Professorii per novem lustra feliciter gesti, docendi autem in hac Academia muneris per septem lustra feliciter acti. Sint festi tibi dies, munusque tuum uberrimus sit tibi gaudii fons!

Agmen iam cogit collega recens nobis adiunctus, Karstenio, viro desideratissimo, successor datus, Henricus van Herwerden, vir doctissimus, linguae Graecae et literarum Graecarum in gymnasio Hagano doctoris mu-

nere functus, qui in schola Cobetiana informatus, scriptis et doctrina famam sibi comparaverat haud exiguam. Cui gravissimum auspicato munus hodie gratulari in animo mihi erat, ille iam abest. Diei autem, quo ex hoc suggestu verba fecit, memoriam tenemus. Laetum illum, quo Karstenii cathedram occupavit, diem tristes dies exceperunt. Cuius Oratio de studio literarum recentiorum, futuris philologis haud contemnendo, spem nostram minime fefellerat, eum adversa valetudo diu impedivit, quominus et suo et discipulorum desiderio satisfaceret. Tandem lectionum habendarum initio facto, vel sic abest hocce die festo! Aegrotatne? Scilicet nuptiae eum avocarunt, sponsamque Groninganam salutatum discedere maluit, quam procul ab ea nobiscum agere festum. Quod minime aegre feratis, quin potius laudetis! — Quem mox ducta uxore salvum huc reducem salutemus, ei prospera vita sit, domestico gaudio plena, Academiae nostrae, literarum bonarumque artium studio atque discipulis magni eum facientibus dicata!

Binis Professoribus gratulandi copiam nobis fecit Sueciae ac Norvegiae Rex Augustissimus, qui viros Clarissimos Miquel et Donders equitibus ordinis Stellae Polaris adscribi iussit. Scripta tua, clarissime Miquel, et alias regiones et Scandinaviam permeant. Scriptis tuis, clarissime Donders, legendis non contenti Sueci, tuas lectiones sitientes Traiectum visitant, ut Kolkii successorem Physiologiam docentem audiant videantque. In patriam reversi..... Quid plura? Vos ita ornatos conspicientibus, collegae honoratissimi, meritorum vestrorum praemia vos tulisse nobis videmini, neque parum Academiam Traiectinam honorasse fama vestra dicenda est. Ridiculum foret, vos incitare ad studia vestra indefesso labore persequenda, quum vos ipsi exemplo vestro alios incitare pergatis, ut omnibus viribus veri studium et scientiam promoveant. Hoc in posterum etiam facere vobis in animo est, quod Deo favente ita vobis cedat, ut de utroque vestrum dici summo iure possit quod de stella polari ordinis vestri insignia testantur: „Nescit occasum." Serior aetas et vos occasum nescivisse testetur et illos viros Clarissimos, collegas coniunctissimos, quos antea iam vel Sueciae ac Norvegiae, vel Neerlandiae Rex Augustissimus equestribus insignibus ornavit. Quos quum constet exemplo suo ostendere quam animo infixum teneant dictum illud „Nobilitas obligat," Traiectinae Academiae iure fulgentia di-

cuntur atque splendentia sidera, ipsius sideris polaris aemuli aliquando habendi!

Vos autem, Iuvenes lectissimi, qui hodie Academicos libatis honores [1]), viros intueamini doctrina atque virtute conspicuos, ut eorum in vario doctrinae bonarumque artium genere vestigia legentes, hoc memoriae infixum teneatis: Sic itur ad astra! Cui vero hoc, quaeso, addatis patrium, vobis sine dubio notissimum: „Modestia antecedit honorem." Modestia autem non sufficit. Ad astra itur Laborando!

Raro nobis, Professoribus, se offert occasio publice significandi, nos Academiae Traiectinae ita nos devinctos sentire, ut non facile cathedram, quam hic occupamus, aliis cederemus. Eiusmodi occasionem quis nostrum data opera quaereret? Oblatam vero quis est quin arriperet? Quod tu egregie fecisti, Clarissime Harting, quum rumor spargeretur, cui Harlemensis civitatis nomen mixtum erat. Pro sinceritate tua palam tu significasti, egregie tibi Musarum sedem Traiectinam placere munusque, cui hic totum te dicatum novimus omnes. Et nos, optime vir, tibi ita devinctos esse, et Academiam Traiectinam ita te magni facere credas, ut omnes vehementer gaudeamus, te non inductum esse in tentationem. Quam egregie de disciplinis physicis merearis, quis est qui nesciat? Academiae nostrae incolumem te Deus diu servet, quo fautore posteri tui, proximo seculo, comprobata reperiant ea quae de Academia Rheno-Traiectina, diem natalem trecentesimum celebrante, atque admodum florente novis exstructis aedibus academicis, nuper vaticinatus est sagacissimus ille „Doctor Dioscorides."

Caeterum, an verisimilia praesagiat is, qui Academiam Rheno-Traiectinam diem suum natalem trecentesimum celebrantem fingat, in medio relinquere possum. Pericula imminentia, damna, leges almae nostrae matri nocentes, averruncet, precor, Deus O. Maximus. De legibus, artem medicam spectantibus, et Senatum Academicum, et in primis vos, Cl. Loncq et Donders [2]), nuperrime scripsisse notum est. Gratias vobis agit Medicorum corona, gratias agit Academia nostra, quod rem bonam acuta argumen-

[1]) Haec ad eximios me convertens iuvenes dixi, victores ex certamine literario egressos, de quibus cff. p. 145, sqq.

[2]) Quibus nunc addi merentur Cll. Mulder et Koster.

torum expositione defendistis. Hoc satis constare videtur, de Pallade Traiectina nil desperandum esse, si Professores, ut doctrina, studio, virtute excellant, omnibus viribus enitantur; Studiosi autem sibi persuasum habeant, Musis quidem placere hic requiescere [1]), minime vero sedulas Camenas delectari iuvenibus, qui in utramvis aurem dormientes studiis malint quam otio vacare. Vestra nomina, Viri Clarissimi, vestra studia, Iuvenes impigri, pignora sunto florentis et nova incrementa praesagientis Academiae Traiectinae, cui Deus sit clypeus aëneus murusque aeratus!

Professorum perlustranti ordinem salutandus mihi quoque est Vir Clarissimus Mulder, celeberrimi patris doctissimus filius, quem huc vocatum esse Academiae nostrae causa valde laetamur. Qui Professoris extra-ordinarii titulo ornatus est, certe alia in votis habebat atque id quod iam ipsi contigit. Novum autem vitae stadium ingresso, optimam lugenti uxorem, solatio et gaudio ei sit, quod iam patri, Chemices Professori illustrissimo assistens, tanti tamque cari viri consuetudine quotidiana fruendi ei copia facta est. Doctrina sua et virtute Academiae nostrae ornamento sit, et tandem aliquando se Traiectum migrasse magnopere laetetur.

Silentio tandem praeterire non licet, viros Doctissimos Oudemans et Dibbits, qui lectionibus chemicis hic assistebant, alio esse vocatos. In numerum doctorum Scholae ordinis superioris civilis Zutphaniensis receptus est Doct. Dibbits, Professor autem in Schola Polytechnica Delphensi creatus est Doct. Oudemans. Utrumque scholas ornare, in quibus docendi munere iam funguntur, omnes norunt. Virum Doctissimum Gunning, Chemiae Lectorem, his diebus in Athenaeo Illustri Amstelodamensi Professoris Chemiae munus auspicaturum esse, gaudemus quotquot magni facimus optimi viri et doctrinam et ingenium. Amici, quos Traiecti habet, laeto animo munus honorificentissimum ei gratulati sunt. Ipse numquam se obliturum esse eos, quos hic dilexit studiorum socios, saepius palam significavit.

---

[1]) Sciat benevolus Lector, si forte nescit, Aedibus, in quas Academiae nostrae alumni convenire solent, ut amotis paulisper seriis inter se salutent, et iocorum fruentes deliciis non tantum virtutem, sed etiam gaudium alant, his igitur Aedibus inscripta esse haec verba:

Placet hic requiescere Musis.

Sine Professoribus et Studiosis Academiam stare non posse, non est quod moneam; musea autem, variaque studiorum subsidia ubi desiderantur, qui, quaeso, Professorum Civiumque Academicorum studia prospere cedant? De iis, quibus haec nostra Academia gaudet, iam breviter disserendum est.

A deliciis nostris principium! *Bibliotheca Academica* more solito variis donis a Rege eiusque Administris, a patriis exterisque doctrinarum societatibus, a Curatoribus, Professoribus, a viris doctis aliisque Academiae faventibus, missis locupletata est. Singula memorare, grato animo dulce opus, vel sic minus aptum videtur. Verbo tamen dicendum de dono Amplissimi viri de Beaufort, Academiae Curatoris, qui magni pretii copiam librorum, ad historiam et antiquitatem Aegypti spectantium, a viro Doctissimo Brugsch, Berolinensi, editorum, dono dedit. Hoc tu, Vir Amplissime, munificentissimo liberalitatis tuae documento luculenter declarasti, quantopere doctrinarum studium tibi cordi sit, quanto amore Academiam nostram amplectaris. Eo pluris donum tuum faciendum esse censemus, quo plura, pretiosiora scilicet, in Bibliotheca Academica desiderantur, cum de universa religionis historia, tum de Aegyptologia. Et aliis, et hoc amoris tui in Academiam nostram signo, multorum gratiam iniisti. Laudanda quoque est nobilissimae matronae, viduae Cl. Ackersdyckii, liberalitas, qua factum est, ut Bibliotheca magnam nacta sit chartarum geographicarum, librorum cum rariorum tum cl. defuncti manu scriptorum, statisticam, historiam, iurisprudentiam spectantium, copiam, cui addita sunt marmorea defuncti effigies, et ipsius scrinia, ad libros manu scriptos asservandos destinata. Quod donum quam egregie Bibliothecam ornet, neminem vestrum latet. Alia accepit Cl. Hartingii cura, Professorum Ordinis Literatorum liberalitate, Curatorum providentia, Societatis provincialis Traiectinae munificentia. Copia mentem turbat! Anxie autem quaerenti, an non aedium angustiae prohibeant, quominus tanta librorum copia commode asservari possit, ipsae illae aedes respondent, quae iam Curatorum decreto ita instruuntur, ut brevi maior librorum pars idoneum locum sit repertura. Quae cum ita sint, cum vobis, Viri Amplissimi, tum aliis, qui donis suis Bibliothecam ornaverunt, gratias agimus quam maximas, laetoque animo memoramus, singulis disciplinarum Ordinibus, Curatorum erga Bibliothecam benevolentiam expertis, penitus de ea constare. Viro autem Doctissimo Vermeulen, qui Bibliothecae curam gerens

in hoc Palladis Musarumque Sacrario Mystagogi partes agit, eius hodiernam conditionem statumque futurum gratulamur. Ipse ornamento ei esse pergat. Vos autem, praestantissimi Iuvenes, quo flagratis discendi studio atque amore, Bibliothecae academicae opibus atque thesauris ita utamini, ut quae ibi asservantur scripta, ad studia vestra promovenda omnino accommodata, nocturna versetis manu, versetis diurna! En flores, en campos et agros! Vos, apium florilegarum sedularumque instar, iis insidatis! Iam mellificate! Ne vero umquam in vos valeat illud: „Sic vos non vobis mellificatis apes!" Et vobis et aliis vos mellificare studeatis!

De *Physicorum instrumentorum collectione* idem fere dici potest, quod superiore anno, eam scilicet bonorum instrumentorum et apparatus copia abundare, quae et institutioni et experimentis sufficiant.

In *Laboratorio Chemico* nihil desiderari eorum, quae ad Chemiam docendum requirantur, aut si quid forte deësset, continuo id emi posse, testatur Cl. Mulder, pater, summas ita laudes ei tribuens. Felicem Professorem, cui tanta de Laboratorio suo praedicare liceat!

Utrumque igitur Museum, Physicum et Chemicum, Professore, qui ei praeest, dignum censeri posse satis constat.

De *Museo Zoölogico* bene meriti sunt viri honoratissimi Sevenhuisen et Kruisinga, et Doct. Hartsen, quorum liberalitate et sedulitate permulta specimina e mari Septentrionali et Oceano Atlantico atque mari Indico, hic sunt deposita. Aucta speciminum copia iam querimoniam elicit de angustiis locorum, asservandis illis destinatorum. Quocirca iamiam specimina illa pretiosa varii generis animalium in platea exposita videbunt cives et hospites Traiectini, nisi de Museo amplificando serio cogitent Curatores. Quod, postremum scilicet, quanto dolore afficeret Cl. Harting, ipsi facile sentitis.

Horto Botanico, cui India et Orientalis et Occidentalis thesauros suos aperuit, ut et Museo Botanico, variis donis locupletato, curas suas impendere pergit Cl. Miquel. Utrumque igitur florere vos sponte intelligitis. Frigidarium autem magna emendatione indiget.

Observatorium astronomicum iam gaudet telescopio, decem pedes longo, Monachii in officina Steinhelii confecto, atque ita collocato, ut observationi astronomicae inservire possit. Quod instrumentum egregie proposito satis-

facere, ex Cl. Hoek audivi. Ita, ni fallor, in coelestibus regionibus, quatenus hominibus Traiectinis se conspiciendas praebent, vix quidquam exstare aut accidere poterit, quod acutos ac vigiles astronomi nostri oculos effugiat. Quidquid est, pascendi oculos iam larga copia facta est, cuius uberrimi fructus cum Academiae patriaeque nostrae famam augeant multisque prosint, tum ipsius Cl. Hoekii nomen aliquando tollant ad astra.

Quod attinet ad ea, quibus Medici potissimum utuntur, studiorum subsidia, *Nosocomium* nondum invenit suum laudatorem. De eo ante hocce triennium dixit Rector Magnificus: „inde a viginti quinque annis nihil usquam exstat deterius," cui sententiae, Nosocomio Traiectino haud honorificae, ne Cl. Loncqius quidem, quantum scio, se opposuit. Fore ut successor mihi datus proximo anno laetiora narranda habeat, speranti mihi liceat hoc unum addere: Utinam ex ore tuo, Clarissime Loncq! aliquando idem de Nosocomio Traiectino audiamus, quod de Laboratorio Chemico Mulderum dicentem audimus.

Musei Anatomici emendata conditio exhilarat animum Kosteri nostri. Praeparatorum, quae dicuntur, in primis pathologicorum, numerus auctus est. Novum quod nuper exstructum est Sacellum, disciplinae Anatomicae consecratum, quo ornari censetur coemeterium, quod de Sancto Iohanne nomen habet, omnino placet. Adaptatum id esse audivimus iis studiis, quae Anatomes Professor regere solet. Quod cum Curatorum, tum eorum, qui civitati Traiectinae praesunt, curae et liberalitati tribuendum esse, et nemo nescit, et cuncti, Academicam medicorum accuratam institutionem magni facientes, laeti agnoscunt. Aedibus illis modestis, recens extructis, Musei anatomici spatium ita auctum est, ut collectio rerum, Anatomiam et Pathologiam spectantium, meliori ratione exponi et asservari possit, quam huc usque fieri potuit. Tandem grates habendae sunt iis, qui hospitiis publicis civitatis Traiectinae praesunt, de benevolentia, qua locum sectionibus cadaverum adaptatum assignarunt. His omnibus novus rerum ordo in Anatomicis studiis hic natus est, quod et alios et in primis viro Cl. Koster ex animo gratulamur.

„Tandem in admirationem rapimur *Laboratorii Physiologici*, intra anni et quod excurrit spatium ita exstructi atque adornati, ut teste Cl. Donders brevi aemulum futurum sit Nosocomio Ophthalmologico, praestantissimo

illi." Utinam hisce verbis Laboratorii Physiologici recentem exstructionem laetus hodie vobis nunciare potuissem! Propinquat autem dies, quo talia ex hoc suggestu, Deo favente, audientur! Non desunt nummi, neque in perpetuum deerit locorum commodum spatium. Hac in re valet sine dubio illud: Nil desperandum est. Tandem, Clarissime Donders, bona causa triumphat! —

Ubi de triumphando sermo est, in vos iam convertimus oculos, praestantissimi Iuvenes, Victores ex arena egressi! Salvete et meritorum accipite praemia, Regis Augustissimi munificentia atque liberalitate vobis parata!

Nomina autem vestra cum ordinum iudiciis identidem recitabit Vir Cl. Loncq, qui Senatui Academico superiori anno Graphiarius absentis hodie Cl. Hoekii provinciam humanissime suscepit.

Tibi, Ornatissime van Slee [1], et industriae et doctrinae et iudicii laudem tribuendam esse censuit Ordo Theologorum. Sit tibi nummus argenteus, quem tibi trado, incitamento industriae in studiis ponendae, doctrinae quotidie augendae, iudicii sapienter acuendi. Ita aliquando ad sacrum ministerium accedas, ut coetui Christiano omni modo prodesse possis. Plura in Commentatione tua egregie de Oratione Dominica monuisti, quibus te sedulum Sacrarum literarum interpretem probasti. Viam, quam ingressus es, ita teneas, ut non tantum laborando, verum etiam precibus orando, te muneri sanctissimo praepares, ac dein Iesu Christi Euangelium nuntiare possis *μετὰ πάσης παῤῥησίας*, ad salutem Ecclesiae, cui spem haud exiguam facis, et in laudem Academiae Lugduno-Batavae, quam salvere iubet Academia Rheno-Traiectina.

Praestantissime van Bolhuis [2], non est quod diffitear, si uni tantum

[1] Quaestio Ord. Theol. altera: Explicetur Oratio q. d. Dominica, ab Euangelistis Matthaeo, cap. VI, et Luca, cap. XI, memoriae tradita. Inquiratur in eius formam genuinam. Exponatur eius pretium.

[2] Quaestio Ord. IOtorum prior: Exponatur et ad examen revocetur locus Iuris civilis Romani et hodierni de emtione venditione, quae sub conditione contrahitur et sub conditione resolvitur.

variarum Commentationum scriptori aureum praemium decerni potuit, me valde gaudere, illud tribui potuisse civi Academiae nostrae. Quod ne commilitones tui laureati, Leidenses et Groninganus, aegre ferant. Ut nomen tuum, praestantissime van Bolhuis, ita felicissimus huius certaminis exitus te incitet ad quaevis bona sedulo perficienda. Ingenii tui acumen, disputandi solertiam, materiae lucidam dispositionem atque rerum tractatarum ubertatem laudavit Ordo Iurisconsultorum. Laudanda velle est aliquid, laudanda perficere maius. Tu quod summa omnium bonorum laude dignum est ita consectari pergas, ut quod hodie de te affirmare licet, idem illud in posterum saepius liceat: „Omne hic tulit punctum."

Tui nominis, Ornatissime de Savornin Lohman, honorificam facere mentionem admodum iucundum mihi est, cum propter laudes, quibus Ordo te dignum censuit, tum propter gratissimam recordationem dierum festorum, quinquatruum illarum, quibus Academia Groningana superiori anno diem natalem suum ducentesimum quinquagesimum celebrasse et alii gavisi sunt et Academia nostra. Florebit procul dubio Academia vestra, si de singulis eius alumnis dici possit, quod de te Ordo testatur, quippe qui laudanda esse censeat industriam ac diligentiam tuam studiumque tuum. Saepius in posterum tui honorifica fiat mentio, ad maiores etiam honores evecti; floreat autem Academia Groningana, cui salutem dat Academia Rheno-Traiectina.

„Ordo Literatorum nullum ad propositam quaestionem accepit responsum." — Nullum responsum? Philosophiae theoreticae et literarum humaniorum studiosos non ad se allexit quaestio de Aristoteleo libro *περὶ ποιητικῆς*, de libri indole et ratione, de locorum difficiliorum interpretatione et de vi, quam habuerit ad Aestheticam, quam vocant, illustrandam et excolendam? Nonne poëseos, Aesthetices, Aristoteleae philosophiae, literarum Graecarum studii amantes sunt? Sunt sine dubio, at vero cuncti altiora, graviora, difficiliora, quam quae proposita quaestio tractanda obtulit, moliuntur. O vos egregios iuvenes, facultatis literatorum et Academiae, cui nomen dedistis, ornamenta! Omnes aliquando coeli literarii lumina sitis micantia, vos, qui in hocce certamine de fulgente auro atque honore dimicare noluistis!

Haud contemnendas laudes tibi, Ornatissime Place [1]), Medicorum tribuit Ordo. Accurate, de eius sententia, atque composite organon olfactus descripsisti. Disserendi facultatem et iudicandi solertiam memoravit, easque haud vulgare ingenium prodere significavit. Sunt haec, ni fallor, quae in commentatione laudantur, futuro medico desideratissima. Numisma argenteum tibi gratulor. Quod potuisti fecisti. Ut ordo plura in Disputatione tua frustra quaesivit, ita tu plura deesse omnium primus facile concedis. Scilicet adeo tristis et conturbatus eam conscripsisti, ut eam per otium conscribere et conscribendo satis curae impendere non potueris. Carissimae matris obitum lugenti, eam ita absolvere, ut in votis erat, tibi non contigit. Animum erigat Deus O. M., sedulumque te ita conservet, ut artem medicam aliquando factites in multorum aegrotantium salutem, simul vero qua valebis industria scriptis doctrinam tuam illustres.

Cum laudis significatione tuum, Ornatissime Bleekrode [2]), nomen commemorandum decrevit Ordo disciplinarum Mathem. et Phys., qui tuam industriam laudandam censuit. Quod saepius non ex vero dictum est, de te iam valet: in magnis voluisse sat est. Voluisti in eo quod, studiosae iuventutis ratione habita, magnum dici meretur. Argumentum quaestionis optime te intellexisse probasti. Intentissima cura pergas, disciplinis mathematicis et physicis operam dare, ut et nomini tuo et Academiae tuae et vero patriae nostrae ornamento sis atque decori, ut ita tandem aliquando has primitias subsequatur seges aurea atque fructuosa.

Testes fuistis, Iuvenes praestantissimi, Academiae Traiectinae Alumni, praemiorum in honestissimo certamine reportatorum. Mox certamina ponet Senatus Groninganus. Vos igitur, nisi graviora vos detineant, descendite

---

[1]) Quaestio Ord. Medicorum: Exponatur anatome microscopica organi mammalium olfactui inservientis, partim e critico fontium usu, partim e propriis indagationibus petita, additis consectariis physiologicis.

[2]) Quaestio Ord. Discipl. Mathem. et Phys. altera: Quaeritur enarratio explorationum maxime memorabilium a viris doctis institutarum ad terrae magnitudinem et figuram cognoscendam cum diligenti examine methodi, quam secuti et adiumentorum quibus usi sunt.

in arenam et vestigia legite praestantissimi commilitonis Iohannis Godefridi van der Lith, Med. Cand., qui in certamine, ab ordine Professorum Athenaei Illustris Amstelodamensis indicto, victor palmam obtinuit. Vos de hoc eximio, sedulitate conspicuo, iuvene exemplum capiatis! Vos studiis invigilate! Quaevis ardua indefesso labore perrumpite! Aetas et subsidia vobis fausta sunt atque secunda. Ne sitis in mora! Iubet uti navita ventis!

Ad finem pervenio, ad omnium gravissimum pergo.

Senatus Academici provida cura magistratum Academicum deposituro successor mihi destinatus erat, et dein Regis Augustissimi decreto in annum proximum Rector Magnificus creatus est Vir Clarissimus Iacobus Antonius Fruin, Iuris utriusque Doctor et in hac Academia Professor Ordinarius, quem igitur ex regia auctoritate Academiae Rheno-Traiectinae Rectorem Magnificum dico, renuntio, proclamo.

Accedas, Vir Magnifice!

Salve, Academiae Rector! Do tibi et in te confero omnia iura et privilegia (sunt autem multa), quae rite creato Rectori tribui solent; fasces et auctoritatem, qua in Academiae salutem utaris! Regis decreto Rector creatus es; sollertia tua Rector formatus es. Te Rectore floreat Academia nostra. Ne cuiquam parentandum habeas, ipse incolumis servatus. Crescat studiosorum numerus studiorumque amor. Prospera quaevis Traiectinae eveniant Academiae, favensque Deus Optimus adsit!

DIXI.

NOTITIA SCRIPTORUM,

QUAE IN LUCEM EDENDA CURAVIT HERMANNUS BOUMAN.

Vlugtige Bedenkingen over de handhaving en bevordering van het gebruik der Nederduitsche taal in de Zuidelijke Provinciën. (In Ann. menstr.: *de Recensent ook der Recensenten*, 1818. Miscell. p. 441—464.)

Tweetal Redevoeringen ter aanbeveling van het Bijbelgenootschap, door H. Bouman, Predikant te *Finsterwolde* en M. Corstius, Predikant te *Beerta*. Groningen, 1819.

Censurae librorum in Ann. menstr.: *Bijdragen tot de beoefening en geschiedenis der Godgel. Wetensch.* 1820, 1821, 1822, 1825. VIII. IX. X. XIII, *Frisii* nomine insignitae.

Iets over het besluit van de Synode der Hervormden, ter kerkelijke viering van des Konings Verjaardag. (In iisdem Ann., 1821, IX, p. 291—304.)

Oratio de Belgio, disciplinae theologicae nostrâ inprimis aetate, sede pulcherrimâ et maxime opportunâ, publice dicta d. 20 m. Maii a. 1823, cum ordinariam in Acad. Rheno-Traiect. Theologiae professionem solenni ritu auspicaretur. Trai. ad Rhen. 1823.

Aan de protestantsche Leeraars in ons Vaderland, ter gelegenheid van hetgeen in deze dagen door de Roomsche Kerk tegen de Protestantsche ondernomen wordt. Een broederlijk woord. (In Syntagm.: *Kerkel. Raadvrager en Raadgever*, a Cl. Heringa edito, II. I. 1825, p. 1—46.)

Nu of Nooit. Vaderlandsche Ontboezeming, na het ontstaan van het oproer in een gedeelte van België, Tweede, verbeterde, en met een Bijvoegsel vermeerderde druk. Utr. 1830.

Thans, meer dan ooit. Moed en kracht, met vertrouwen op God alleen. Utr. 1830.

Leerrede over Luk. 6 : 21b: *Onze tegenwoordige smart, de weg tot toekomstige vreugde*, in libro: Leerredenen, betrekking hebbende op de jongste omstandigheden van het Vaderland, tot deszelfs voordeel uitgegeven door de gezamenlijke Nederlandsche Akademiepredikers. Utrecht, 1831. (Libro praefatus est Cl. Bouman.)

Oratio de Historiâ philosophiae de Deo, sapientiae magistrâ, dicta publice d. 26 m. Martii a. 1830, quum Academiae regundae munus solenni ritu poneret. Trai. ad Rhen. 1832.

Meditationes, quas libro: *Dagboek ten gebruike bij den Bijbelschen Almanak*, edito a plurimum ven. J. E. Voet van Campen, Lugd. Bat., 1834, inseruit cl. defunctus, de locis 2 Cor. VIII: 11. Joh. II: 25. Joh. III: 14, 15. Ps. LXXV: 8. Rom. VI: 4. Deut. VIII: 18. 1 Tim. VI: 12—14. Rom. X: 20. 1 Cor. XV: 3. Matth. V: 13. Ps. LXXI: 9. Ps. CXVIII: 22. Rom. VIII: 10.

Redevoering ter Godsdienstige Inwijding van het Tweede Eeuwfeest der Utrechtsche Hooge School. Utr. 1836.

Levensberigt van Luitonius Bouman, *in leven rustend Predikant te Harderwijk*. (In Ann. menstr.: *Boekzaal der Gel. Wereld*, Dec. 1836.)

Jod. Heringa El. z. als voorganger der Chr. Gemeente geschetst in eene Leerrede. Utr. 1840.

Jod. Heringa El. z. als voorstander van het Vaderland en deszelfs heilzame instellingen enz. *geschetst*. Eene redevoering met Aanteekeningen en Bijvoegsels. Utr. 1840.

Broederlijke toespraak aan allen, die de Hervormde Kerk liefhebben en om haren vrede bidden. Utr. 1842.

Geschiedenis van de voormalige Geldersche Hoogeschool en hare Hoogleeraren, grootendeels uit ongedrukte of zeldzame bescheiden. II Tom. Utr. 1844 et 1847.

Redevoering ter herdenking van den Akademischen leeftijd, den tweeden Hooimaand 1840 in de kerk der Hervormden te Harderwijk uitgesproken. (Ad calcem libri: *Geschiedenis van de voormalige Geldersche Hoogeschool*. II. p. 615.)

Oratio, et Instituta Academica, quae 17° saeculo fuerunt in patriâ, cum iis, quae nunc ibidem sunt, breviter comparans, et memoriam celebrans Frederici Sig. Alexander, Nicolai Corn. de Fremery, Joan. Fr. Lud. Schröder, dicta publice d. 3 m. Aprilis a. 1845, quum Academiae Rheno-Traiect. regundae munus iterum poneret. Accedit annotatio literaria. Trai. ad Rhen, 1845.

Memoria Johannis Clarisse, Theologi. Trai. ad Rhen. 1850.

Chartae Theologicae, Liber I. Trai. ad Rhen. 1853. Liber II. ibid. 1857.

Een woord ter aandenking van den Hoogleeraar A. Niermeyer, caet. (In Ann.: *Jaarboeken voor wetensch. Theol.* XIII. 2. p. 243—254.)

Leerrede ter aandenking van H. J. Rooyaards. Met een Voorberigt en eenige Aanteekeningen. Utr. 1854.

Leerredenen, ter aandenking voor vrienden en bekenden. Utr. 1860.

De Godgeleerdheid en hare beoefenaars in Nederland, gedurende het laatste gedeelte der vorige en in den loop der tegenwoordige eeuw. Gemengde, historische herinneringen. Utr. 1862.

Over het onregt onzer moedertaal aangedaan door de hedendaagsche verwaarloozing van echt Nederlandsche namen voor uitheemsche landen en plaatsen. (In: Aanteekeningen van het verhandelde in de Sectie voor Letterk. en Wijsbeg. van het Prov. Utr. Gen. van Kunsten en Wetensch. 1860.)

Hermanni Bouman, dum vivebat Theol. Doct. et in Acad. Rheno-Trai. Prof. ord., *Commentarius Perpetuus in Iacobi Epistolam.* Trai. ad Rhen. apud Kemink et Filium, 1865.

INDEX SCRIPTORUM

A SIMONE KARSTEN EDITORUM.

Specimen Literarium quo continentur tria Pindari carmina Olympiorum II et VI Pythiorum I cum Proöemio et Annotatione critica ac philologica. Pro Gradu Doctoratus summisque in Phil. theor. et Lit. Hum. honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis. Trai. ad Rhen. 1825.

Philosophorum Graecorum veterum praesertim qui ante Platonem floruerunt operum reliquiae. Recensuit et illustravit. — Vol. I. Pars. I. *Xenophanes.* Bruxell. (et Amstelod.) 1830. Pars. II. *Parmenides.* Amstelod. 1835. Vol. II. Pars I. *Empedocles.* ibid. 1838.

Prolusionum Scholasticarum par de effatis delphicis μηδὲν ἄγαν et γνῶθι σεαυτόν. (In Syntagm: *Symbolae Literariae.* 1838. II. p. 57 sqq.)

Oratio de Antiquarum Literarum doctrina cum Philosophia coniungenda, quam habuit a. d. VII m. Maii a. MDCCCXL, quum in Academia Rheno-Traiectina Lit. Hum. et Phil. Theor. professionem solenni ritu auspicaretur. Amstelod. 1840.

Verhandeling over Palingenesie en Metempsychosis. Eene voorlezing gehouden in de derde klasse van het Koninklijk Nederl. Instituut. Amst. 1846.

De Tetralogia Tragica et Didascalia Sophoclea. Lectio habita in Instit. Reg. Belg. Classe Tertia. Amstelod. 1846.

Oratio de cautione adhibenda in veritatis indagatione, in Auditorio Academiae Rheno-Traiectinae habita d. XXV Martii MDCCCXLVII, quum Academiae regundae munus deponeret. Trai. ad Rhen. 1847.

De staatkundige, zedelijke en maatschappelijke toestand van Rome in de eerste eeuw des Keizerrijks. Eene voorlezing. (In Ann. menstr.: *Recensent, Algemeen Letterl. Maandschrift.* 1849.)

Introductio in Historiam Universalem praecipue Antiquarum Gentium, scholis Academicis accomodata. Trai. ad Rhen. 1849.

De Historiae Romanae antiquissimae indole et auctoritate deque primis Romae regibus. Trai. ad Rhen. 1849.

Blik op de Monumenten van Aegypte en de resultaten daaruit voor de geschiedenis afgeleid. Eene voorlezing. (In Ann. menstr.: *Recensent, Algemeen Letterl. Maandschr.* 1852.)

Aeschyli Agamemnon. Recensuit emendavit annotationem et commentarium criticum adiecit. Trai. ad Rhen. 1855.

Excerpta e veteribus Poetis Graecis. Lectionum in usum descripsit et animadversiones criticas adiecit. Trai. ad Rhen. 1856.

Prolusio Academica qua linguarum veterum Graecae praecipue studium commendatur. Habita Trai. ad Rhenum, m. Septembri MDCCCLVIII. Trai. ad Rhen. 1858.

Q. Horatius Flaccus. Een blik op zijn leven, zijne studiën en dichtwerken. („Aandenken aan de plegtige viering van het tweehonderd vijf en twintig jarig Bestaan der Utrechtsche Hoogeschool in de maand Junij MDCCCLXI.") Utrecht 1861. (Aus dem Holländischen übersetzt und mit Zusätzen versehen von J. U. Dr. Moritz Schwach, k. k. ö. ö. Prof. des röm. Rechts an der Univ. zu Prag. Leipz. u. Heidelb. 1863.)

Cicero pro Roscio Amerino. Antwoord op het Rapport in de Koninklijke Akademie van Wetenschappen uitgebragt over de Verhandeling betreffende deze pleitrede. Met een begeleidenden brief aan Dr. J. C. G. Boot, Hoogl. te Amsterdam. Utrecht. 1861.

Over de Pleitrede van Cicero voor Sex. Roscius Amerinus. Uitgegeven door de Koninklijke Akademie van Wetenschappen. Amsterdam. 1863.

In: *Verslagen en mededeelingen der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Afdeeling Letterkunde:*

1856. I. p. 217. *Mededeeling betreffende den Agamemnon van Aeschylus.*

1858. III. p. 38. *Over Demosthenes. De Corona* § 169, p. 284.

1859. IV. p. 21. *Over het Epitaphium, voorkomende bij Demosthenes, de Corona,* § 289, p. 322.

1864. VIII. p. 76. *Het Lied van Horatius ad Augustum, Carm. I. 2. critisch en exegetisch toegelicht.*

In: *Aanteekeningen van het verhandelde in de Sectie voor Letterk. en Wijsb. van het Prov. Utrechtsch Genootschap van Kunsten en Wetenschappen:*

1849. *Gissing omtrent den oorsprong van den volksnaam der Pelasgen.*

1852. *Over de vraag, of het tijdvak van de overheersching der Hykso's als historisch bewezen kan aangemerkt worden.*

Etymologische opmerkingen betreffende plaatselijke eigennamen, uit het Oude Griekenland en Italië ontleend.

1853. *Over den treurspeldichter Aeschylus.*

1855. *Over het opsporen van de afleiding en beteekenis van eenige volksnamen uit de Grieksche oudheid.*

1857. *Iets over de wijzigingen, die de Comitien te Rome in de laatste tijden der Republiek hebben ondergaan.*

1858. *Over het wezen en de werking van het Treurspel, volgens Aristoteles.*

1860. *Over de Casus-uitgangen in de Latijnsche taal.*

1861. *Over den invloed, dien de Philosophie op de politiek in de Oude Staten heeft uitgeoefend.*

1862. *Over den tijd der stichting en de inrigting van de Amphictyonen.*

1863. *Verklaring van eenige kunstnamen op het gebied der poëzij.*

Σιμπλικίου εἰς τὰ Ἀριστοτέλους περὶ οὐρανοῦ ὑπόμνημα. *Simplicii Commentarius in IV Libros Aristotelis de Caelo ex recensione Sim. Karstenii,* mandato Regiae Academiae disciplinarum Neerlandicae editus. Traiecti ad Rhen., apud Kemink et Filium. 1865.

ACTA IN SENATU

A. CIƆIƆCCCLXIV—CIƆIƆCCCLXV,

RECTORE MAGNIFICO IACOBO ISAACO DOEDES,
GRAPHIARIO MARTINO HOEK.

Die 18 m. Martii. Rector Magnificus Christophorus Henricus Didericus Buijs Ballot, a Senatu Amplissimo in cathedram ductus, orationem habet *de physicorum principiis et dubiis*, et Academiae fatis tum prosperis tum tristibus enarratis, Magistratum deponit et in proximum annum Rectorem Magnificum renuntiat ac salutat Virum Clar. Iacobum Isaacum Doedes.

Die 7 m. Maii. Senatus luget obitum Viri Clar. Simonis Karsten, Phil. Theor. et Lit. Hum. Professoris, die 6 m. Maii defuncti, qui per viginti quatuor annos huius Academiae fuit decus et ornamentum.

Die 17 m. Maii. Senatus luget obitum Viri Clar. Hermanni Bouman, Theologiae Professoris, die 14 m. Maii defuncti, qui quum d. 20 Maii munus in hac Academia auspicatus esset, m. Iunio a. 1859 rude donatus disciplinae suae usui et ornamento esse non destitit.

Die 28 m. Octobris. Vir Doctissimus Henricus van Herwerden, in Facultate Philos. Theoret. et Liter. Humaniorum Professor designatus, Iureiurando praestito a Senatu Ampliss. in cathedram deductus, orationem habet *de studio literarum recentiorum futuro philologo haud contemnendo*.

Die 23 m. Decembris. Curatores cum Senatu communicant, Virum Doctissimum A. C. Oudemans, qui hucusque Chemiae Professori auxilio fuit, Delphos ad munus Professoris in Schola Polytechnica obeundum vocatum, honorifice esse dimissum.

Iidem Viri Amplissimi cum Senatu communicant, ex Regis Augustissimi decreto Virum Doctissimum Eduardum Mulder huc vocatum esse, qui exercitationibus practicis in laboratorio chemico praesit, eique titulum Professoris Extraordinarii datum esse.

Die 2 m. Februarii. Curatores cum Senatu communicant, Virum Doctissimum I. W. Gunning, Chemiae Lectorem, ad munus Professoris in Athenaeo Illustri Amstelodamensi obeundum vocatum, honorifice dimissum esse.

Die 11 m. Februarii. Disignantur quatuor viri, e quibus a Rege Augustissimo Rector Magnificus eligatur in proximum annum:

Ex	Ordine	Iurisconsult.	Vir.	Clar.	I. A. Fruin.
〃	〃	Literat.	〃	〃	H. C. Millies.
〃	〃	Medicorum	〃	〃	G. Koster.
〃	〃	Math. et Phys.	〃	〃	M. Hoek.

Designantur deinde quatuor viri, e quibus eligatur Senatus Graphiarius:

Ex	Ordine	Theolog.	Vir.	Clar.	I. I. Doedes.
〃	〃	Iurisconsult.	〃	〃	O. van Rees.
〃	〃	Literat.	〃	〃	G. G. Brill.
〃	〃	Medicorum	〃	〃	G. Koster.

Assessores constituuntur:

Ex	Ordine	Literat.	Vir.	Clar.	G. G. Brill.
〃	〃	Theolog.	〃	〃	I. I. van Oosterzee.
〃	〃	Medicorum	〃	〃	G. Koster.
〃	〃	Math. et Phys.	〃	〃	G. I. Mulder.

ORATIO INAUGURALIS

DE

RECENTIORUM LITERARUM COGNITIONE FUTURO PHILOLOGO HAUD CONTEMNENDA,

QUAM HABUIT

HENRICUS VAN HERWERDEN,

A. D. XXVIII OCTOBRIS A. CIƆIƆCCCLXIV,

QUUM IN

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

LITERARUM PROFESSIONEM ORDINARIAM

SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, VIRI ILLUSTRISSIMI,

QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME,

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE,

ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI,

QUI IURI DICUNDO ET CIVITATI REGENDAE PRAEESTIS, VIRI INTEGERRIMI,

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI,

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI,

HUIUS ACADEMIAE ALUMNI, COMMILITONES OPTATISSIMI,

CUIUSCUNQUE LOCI ET ORDINIS HIC ADESTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Non mediocriter animus mihi commovetur variisque cogitationibus mens distrahitur atque perturbatur, talem aut genere vitaeque conditione illustrium aut eruditionis et ingenii fama clarissimorum vitorum coronam intuenti, apud quos hac sollenni opportunitate verba facienda sint mihi, qui quanto intervallo ab illorum praestantia remotus sim, penitus sentio. Inde fit, ut vix sperare audeam fore, ut hoc a maioribus nostris sapienter instituto negotio fungar, non commode dicam, sed non nimis indigne tum honorifica vestra praesentia, tum exspectatione quadam fortasse mei, quae si qua est, multo magis benigno vestro debetur iudicio quam meis meritis, quae quam sint exigua me quidem haud latet. Sed erigit mihi rursus animum et vestra benevolentia et laeta haec cogitatio: iam a fortuna mihi oblatum esse, quod nunquam sperare fueram ausus, iam mihi obtigisse, quod paucissimis contingit, munus ab honore non remotum idemque plenum officii, magnum quidem, ut Tullii verbis utar, onus, verumtamen dignum, in quo omnes nervos aetatis industriaeque meae contendam.

Circumspiciens autem argumentum orationis, qua cum gaudio acceptum honorem rite auspicarer, diu multumque quaesivi, quale sollenni huic occasioni optime conveniret. Namque intelligebam, si quam partem Graecis literis vel Latinis illustrandam mihi sumerem, me facturum, quod mihi quidem iucundissimum esset, auditoribus contra, quorum longe plerique studiis occupentur plane diversis, rem ingratam et taedii plenam esse aggressurum. Hunc vero scopulum fugiens fere invitus detrudebar ad aliud argumentum, minime illud quidem inutile et importunum, sed ita decantatum a multis in similibus huiusce temporibus, ut cui non sit, quemadmodum mihi non est, Isocratea illa facultas saepe de re eadem, quamque iam multi tractarint, commode dicendi, is omnem spem abiicere debeat illud argumentum ita tractandi, ut non omnia repetat, quae iam ab aliis de eodem in medium sint prolata, dum nihil fere novi addere possit de suo. Quod argumentum dicam, intelligitis: veterum literarum utilitatem et praestantiam. Vitaturus igitur Scyllam, aiunt, ne in Charybdim inciderem, elegi mihi dicendi materiem ab omni doctrinae subtilitate remotam, quae etsi per se minime nova est, hanc tamen habet novitatem, quod nunquam antehac, quantum ego potui reperire, in hac aut alia cathedra Academica tractata sit. In animo igitur (nolo enim diutius vos detinere) mihi est dicere: *de recentiorum literarum cognitione futuro Philologo haud contemnenda.*

Continetur autem hoc argumentum utpote suspensum a recta harum literarum aestimatione praecipue illa quaestione, quam saepe homines tum et alibi antehac, tum nostra denuo aetate in Gallia maxime, studiose nec sine cupiditate aut ira agitaverunt, et agitabunt, opinor, quamdiu literae erunt in honore, hoc est, quamdiu genus humanum erit. Nempe quaeritur de literis veteribus Graecis ac Latinis, deque recentioribus literis, utrae utris praestare existimandae sint. Vix opus est, dicam A.! in quam diversa omnia abeant omnes, qui eam quaestionem attigerint; alii has, alii illas literas ad coelum laudibus efferre, alto supercilio contemnere adversariorum studia, in quibus saepe ipsi sint plane hospites; et quo magis illi sua diligunt et tanquam filiolam osculantur, imo saepe sine discrimine stupent admiranturque, eo confidentius hi pulchri sensu et recto iudicio istos omnino destitutos esse crepant, qui post repertas fruges, ut ipsi opi-

nantur, glandibus vesci malint. Utrorumque opiniones recensere et ubi opus sit refellere fortasse quidem non foret inutile, sed in hac horae brevitate, in qua non nisi capita rerum leviter attingere possim, me hoc ita facturum despero, ut simul mihi satisfaciam, simul vestrae occurram satietati: quocirca satius esse iudicavi, quae ipsi mihi de hac quaestione viderentur, neglectis plerumque ceterorum sententiis, breviter ac dilucide vobis exponere. Patet autem tam late, ut ne iusto diutius vos morer, permulta sciens omittam, quae aliquatenus abesse posse mihi videantur. In oratione enim nemo vestrum eam requiret rerum copiam et ubertatem, cui ne iusti quidem voluminis ambitus, opinor, sufficeret. Infantiae autem meae, auditores, in vestra benevolentia ne praesidium desit, enixe rogo.

Difficile et arduum est rectum supra hac quaestione ferre iudicium, etiam iis philologis, qui veteres literas callentes non sint in recentioribus hospites. Etenim vetus etiamnunc philologorum bene multorum animis inhaeret superstitio, quicquid ab antiquis profectum sit, pulchrum esse et sanum et rectum. Derivata est illa superstitio, quae, etiamsi sensim paullatimque minui coeperit, multum tamen abest, ut sit exstirpata, a priscis illis temporibus, quum primum, maxime in Italia, veterum scripta post longam oblivionem e monasteriorum tenebris protrahebantur in lucem. Paucissima autem id aetatis exstabant apud Germanos maxime et in Scandinavia indigenorum poetarum monumenta, quae eiusmodi essent, ut cum veteris aevi poematis Graecis Latinisque conferri possent. Vix enim quisquam, opinor, fabulas de Arthure rege eiusque sociis, de Carolo cum Galliae paribus, aliave opera, quibus argumenta praebebant equitum et magorum et gigantum facinora, tanto honore digna iudicabit; nec magis illorum poetarum carmina, qui *trovatores*, aut qui *minnesangers* vocabantur. Christianorum cultus, ut saluberrimus fuerat hominum vitae atque moribus, ita, transversas agente mentes humanas coniuncta cum illo superstitione, una cum plerisque paganorum barbarorum institutis literas quoque eorum, parvis relictis vestigiis, pessumdederat. Quanto igitur ardore, quanta animorum exsultatione putatis Graecorum et Latinorum scripta ab omnibus, quicquid ea aetate elegantiorum hominum esset, lecta esse et relecta et comprobata; quanta admiratione immortalia illa ingenia prosecutos fuisse eos, quibus excolere mentem animumque pascere gestientibus vix aliud

antea pabulum offerretur praeter rudia nescio quae carmina popularia et chronicos quosdam exiles sine iudicio compilatos scriptosque stilo aut semibarbaro aut plane barbaro. Nullae in istis libris veneres, lepores vix ulli, stupor saepe incredibilis, pulchri sensus plerumque obtusus. In his contra venustas certabat cum urbanitate; rectum iudicium cum ingenio felici; scribendi artificium cum argumenti gravitate.

Verum, ut, unde deflexit oratio, revertam, remansit e priscorum illorum temporum effusa admiratione, in animis hominum, philologorum inprimis, inepta quaedam ac foeda superstitio, qua multi, etiamsi dicere nonnullos pudeat, putent nihil non pulchrum et sanum esse, quod veteribus scribere placuerit. Istam igitur superstitionem penitus ex animo sibi evellat necesse est, qui de hac quaestione liberum et aequum iudicium sit laturus. Quae res eo est difficilior, quo magis philologi in veterum monumentis explicandis occupati, ex ipsa difficultatum sive interpretando sive coniectando remotione, ex observatione legum Grammaticarum, e cognoscendis veterum populorum moribus atque institutis, tantum iucunditatis solemus percipere, ut facile hanc voluptatem confundamus cum ea, qua compositionis et cogitationum praestantiam contemplanti animus perfunditur. Effecit autem superstitiosa illa admiratio, ut haud raro scriptores antiqui apud recentiores fama celebrentur longe maiore, quam qua olim inter aequales suos et posteros fruebantur, quam rem egregia dissertatione in Cicerone ostendit Bakius in Scholicorum Hypomnematum volumine primo, ubi disputavit de temperanda admiratione eloquentiae Tullianae. Qua eadem causa miris modis aucta est inter eos, qui *his* studiis propter ignorantiam obtrectant, veterum literarum contemptus. Haud vero minus graviter peccatur ab iis, qui literarum antiquarum difficultate deterriti, dum in amoenis recentiorum pratis desultantes flosculos undique decerpere, quam solida doctrina animum excolere malunt, scripta hodierna aut quae a nostra aetate non valde remota sint, nimiis laudibus solent efferre. Sed fortasse iam iusto diutius vos, Auditores, in hac parte disputationis detinui: properandum est ad ipsam quaestionem, ad quam accedo liber, ut mihi quidem videor, ab omni praeiudicata opinione.

Quia autem constat inter omnes, collatis literis Graecis cum Latinis palmam haud dubiam tribuendam esse illis, quo simplicior evadat disputandi

ratio, ubi agetur de literis antiquis, res nobis praecipue erit cum Graecia. Romani enim, gens bellicosa et per longum temporis spatium ab artibus pacis et humanitate alienissima, sero literis operam dare coeperunt, et, ut erant ingenio minus illis feraci, ita maxime in poësi fere totos se composuerunt ad Graecorum exemplorum imitationem, quorum tamen praestantiam, quod fere imitatoribus accidere solet, non sunt assecuti. Uno tamen literarum genere ab ipsis invento Romani iure gloriari poterant; Satyras dico didacticas, quas post Lucilium ita excoluerunt Horatius atque Iuvenalis, ut citeriore tempestate ne a Boileauvio quidem, ut alios taceam, in hoc genere vinci aut aequari potuerint. Sed vel arctioribus finibus in hac comparatione literas antiquas circumscribere nobis liceat: nam, excepto uno Luciano, planissime assentior iis qui contendant, inter scriptores Graecos, qui floruerint post Alexandrum, hoc est post exstinctam Graeciae libertatem, neminem unum reperiri, qui bonis, quos recentiora tempora tulerunt, auctoribus non sit postponendus.

Vix opus est, Auditores, vos admoneam e literis Graecis ante Alexandrum hodie partem superare valde exiguam: quae ad nostram scripta pervenerunt aetatem dispersas aliquas tabulas ex ingenti naufragio iure dixeris; nec mirer, si permulta perierint, optimis, quae supersunt, veterum monumentis haud deteriora. Servata sunt, quae servari placuit Alexandrinis, qui, paucis exceptis, multo plus πολυμαθείᾳ quadam quam ingenio aut iudicio aut sensu pulchri valebant; deinde, quod peius est, pendemus a Byzantinis, hominibus omni vera eruditione prorsus destitutis; tandem, quod pessimum, a librariis, qui omnibus fere iis animi dotibus carebant, quibus genus humanum a brutis distinguitur animalibus. Multorum igitur (et quis miretur?) tam scriptorum pedestrium quam poetarum celeberrimorum vix quicquam praeter nomina cognovimus. Sed quid attinet pluribus miserrimam illam et irreparabilem stragem cladem que memorare? Etenim quae, quantae, qualesve *aliquando* fuerint literae Graecae, nunc non quaeritur: hoc quaeritur, quales hodie sint, quaeque sit earum, si cum recentioribus conferantur, praestantia.

Inquirentibus autem, quod potissimum discrimen intercedat inter veteres scriptores classicos et eos recentiores, quos novitio nomine romanticos solemus appellare, bene respondere videntur ii, qui statuant, *illis* recte

scribendi et componendi artem haud minus curae cordique esse quam sententiarum et rerum gravitatem ac veritatem: *his* compositionem sordere prae cogitatis. Nec falluntur, tantae differentiae causam repetentes ex diversa utrorumque de Dei natura opinione. Nam veteres fingebant sibi Deos ab hominibus nulla alia re differentes, nisi quod his ab omni parte essent superiores. Haud secus quam mortales ex illorum sententia dii animo constabant et corpore, hoc est materie et forma; unde sequitur, illis iudicibus, artem absolutam summamque ideam pulchri conspici in arcta et indissolubili animi et corporis, sive formae et materiae coniunctione. Omne igitur punctum, si illos audiamus, tulit is, qui egregie cogitata egregio scribendi genere cum lectoribus suis communicare didicit. Contra se res habet apud Christianos. His enim Deus omni elemento corporeo prorsus videtur carere; unde factum, ut idea pulchri fere omnis, ut ita dicam, evaserit spiritualis et in sola propemodum cogitatione consistere existimaretur. Exinde componendi artis potius is finis habebatur, ut cogitata divinarentur, quam ut accurate exponerentur: ut verbo dicam, adumbrando quam depingendo referre rerum faciem ars Christiana malebat. Nimium enim infinita *his* videbatur cogitatio, quae arctis sermonis humani finibus contineri posset.

Ab hac igitur parte (neque enim inter utramque sententiam optio est perdifficilis) quin veteres plurimos recentiorum vicerint, dubium non esse reor, et, tametsi vel hodie classicismus, qui dicitur, permultos habet amatores, dubito tamen an multis eam formae praestantiam assequi contigerit, qua insignes sunt optimi scriptores antiqui. Attamen non potest negari fuisse inter veteres, qui in forma orationis excolenda fere nimii, mentis animique pabulo aurium oblectamentum praetulisse paene videantur. In quorum numero est Isocrates, Gorgiae *τοῦ λογοδαιδάλου*, ut a Platone vocatur, discipulus, quem nullum constat in orationibus suis admississe hiatum et anxie cavisse ne duarum vocum contiguarum prior in eandem syllabam desineret, a qua inciperet posterior. Idem tamen, fortasse prae studio illo nimis curioso, neque ubertate ac copia neque subtilitate, me iudice, excellit. Legat mihi quispiam huius aliquam orationem e longioribus, qualis est Panathenaica aut Panegyrica aut quae inscribitur *de permutatione bonorum*, et impense mirer, si, priusquam imposuerit finem

huic labori (nam haud ingratum initio opus mox in laborem vertit satias) somnum potuerit evitare. Ego certe hoc vitio ipsum contrarium, in quod saepe delabuntur recentiores, minus intolerabile esse iudico. Quid enim, ut ait Cicero, est tam furiosum quam verborum vel optimorum sonitus inanis? Idem tamen vir insigni documento est, quo perfectionis diligens exercitatio stilum perducere possit. Quam apta enim et quasi rotunda est ei verborum constructio, quanta singulorum membrorum (*κῶλα* Graeci appellant) concinnitas et aequabilitas, quantus numerus inest eius orationi, ars denique quanta! Hanc solam si respicias, nescio an recte Tullius patrem eloquentiae Isocratem appellaverit. Sed tintinnabuli instar, ut voce utar Paullina, illa omnia sunt, nisi accesserit cogitationum gravitas atque ubertas. Ubi haec adsunt (et adsunt in longe plerisque Graecorum scriptis) quid praestantius, quid pulchrius et elegantius cogitari, quaeso, tali coniunctione potest?

Horum scripta diligenter examinantem non potest latere quemquam, quanta sit huic generi monumentorum similitudo cum iis, quae omnium laudibus celebrata eorundem artes tam statuaria et pictoria quam architectonica tradidere stupentibus posteris. Conspicitur in utroque genere eadem formae cum materie apta et elegans coniunctio, eadem partium concinnitas et symmetria, eadem acuta naturae observatio, quaeque inde proficiscitur veritas, nativa et inaffectata simplicitas eadem, maiestas, ubi requiritur, incomparabilis, ars denique prope incredibilis et paene divina. Sequitur autem ex illa operum Graecorum veritate ac simplicitate, ut quamvis tot seculorum intervallo a nobis disiuncta sint, quia veritas semper est eadem, ita recentia nobis videantur, ut heri nudiusve tertius facta esse dixeris. Habent Graeci prae ceteris populis hoc, quod sapienti popularis sui Biantis praecepto: *ne quid nimis*, salutari consilio semper et ubique obtemperarunt, modumque servarunt in omnibus. Hinc alienissimi sunt ab inflato isto et ventoso genere scribendi, quo nimis frequenter offendimur in recentiorum operibus: hinc procul est ab iis animi iste morbus, cuius ipsum nomen ignorarunt veteres, quique nascitur ex indulgendo non sine delectatione quadam fictis saepe doloribus, iis maxime, quibus amor hominum pectora afficit; *sentimentalitatem* appellarunt recentiores, qui non mediocriter seculo praesertim proximo ea peste laborarunt. Qua erant Graeci

sanitate, sentiebant, opinor, risum potius movere quam misericordiam gemitus et lachrymas et querelas tam absurdas atque insanas; sentiebant, quam procul istiusmodi ineptiae distarent a veris affectibus itaque a vero pulchro: nihil enim pulchrum esse, nisi quod idem sit verum aut veri certe simillimum, optime intelligebant religiosissimi illi verae *Artis* antistites.

Ὅττι καλόν, φίλον ἐστί· τὸ δ'οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστίν

cantaverant Musae cum Gratiis in Cadmi et Harmoniae nuptiis; nec, quamdiu libera et felix Graecia fuit, huius carminis *Μουσάων ὀτρηροὶ θεράποντες* fuerunt immemores. Non magis eius obliti sunt scriptores pedestres; conspicitur idem pulchri sensus et amor in artificum operibus, quae ad nos pervenerunt: quantilla autem pars eorum, quae quondam fuerunt, quam vilia pleraque prae iis, quae Phidiam, Praxitelem, alios reliquisse accepimus! Supremae huic legi parebant omnes in vita privata aeque ac publica: quantus erat pomparum splendor, armorum nitor, vestimentorum decor, quanta vasorum elegantia et supellectilis, ingressus quanta dignitas, quanta *εὐρυθμία!* Verum deficiat me dies, si omnia velim enumerare, in quibus eadem virtus resplendeat. Notum est, ut paucissima, unde de ceteris iudicetis, commemorem, Graecos artifices ita refugisse, quicquid turpe esset et obscoenum, ut numquam, nisi forte cultus deorum exigeret, Furiarum imagines pinxerint, aut marmore vel aere effinxerint; et legem perhibent viguisse apud Thebanos, qua caveretur, ne quis artifex, nisi quae pulchra essent, arte sua referret. Ubi tam subtilis erat pulchri sensus, tam sanum rectumque iudicium, tam splendidum ingenium, quid mirum A.! si ibi quasi sponte eiusmodi opera provenerint, quae etiamnunc iustam omnium elegantiorum hominum laudem mereantur et admirationem?

Ipsos autem Graecos, ut vix quicquam eorum, quae solo mentis acumine homines assequi valemus, haud latebat, quam similis esset pictoriae arti poesis. *Illam* mutam poesin, *hanc* pictoriam artem vocalem iure quodam Simonides dixerat. Nihil attinet h. l. repetere, quae de utriusque artis finibus eximie docuit Lessingius in Laocoonte. Hoc unum addere iuvat, inter graphicas descriptiones, quae plurimae reperiantur apud poetas Graecos, vix ullam me iudice artificio superare versus illos plane egregios, quibus in Electra Sophoclea paedagogus exponit fictam Orestis mortem in ludis

Pythicis. Quicumque haec legens non oculis cernere et ipse certamini spectator adesse sibi videtur, nae is melius a poetarum lectione abstinebit! Vix me contineo, auditores, a recitanda illa tragoediae parte: sed intelligo vertendo Latine gravi me iniuria afficere divinum poetam. Nam ipsa forma orationis a lingua, qua continetur, divelli prorsus nequit, et apud Graecos quidem lingua continetur eiusmodi, quae, quot mihi certe innotuerunt, omnes longo intervallo post se relinquat. Nulla lingua est ad poesin magis idonea, vix ulla ditior, nulla suavius sonat; non est ulla in recto verborum usu morosior aut fastidiosior; qua acutissime cogitata planissime significes, non est aptior ulla. Sed quid cesso praeclari vobis in hoc genere iudicis recitare testimonium. "Est Ionum lingua, ait Cobetus, cera "mollior, in omnes formas fingi docilis et sequax, tam apta robori ac vir-"tuti, quam molli inertiae et otio affluenti deliciis; tam bene classicum "referens quam fractos tibiarum sonos." Adde metrorum infinitam prope dixerim varietatem, quam invitis Musis saepe recentiores in sua poemata introducere sunt conati, etiamsi fatendum sit paucis, sed paucis admodum, inter quos primum locum tenent Goethe et van Platen, contigisse, ut plus in ea re profecerint, quam per linguae naturam iis licuisse credideris. Nihilominus multum abest, ut vel hi eam euphoniam sint assecuti, qua legentibus veterum carmina *et* oblectantur aures, *et* dulci motu animus afficitur. Nec mirum; nam quo tandem pacto *sola ars* id efficeret, quod naturae non minus quam arti deberi manifestum est? Quam vero imbecilla est prae metris illis canoris ea assonantia, quam *rimum* hodie appellatam, ut e chororum tragicorum locis sat multis apparet, non ignorarunt veteres, sed eiusmodi adminiculo non indigentes, rarissime adhibuerunt! His eximiis antiquorum virtutibus commemoratis, iam paucis mihi lubet disserere de iis, quae *recentiorum scripta* magis commendare partim iure partim iniuria cuipiam possint videri.

Iam primum opera citerioris aevi, quippe quae a nostra sentiendi cogitandique ratione, a moribus atque institutis tam civilibus quam religiosis multo minus abhorreant quam antiquorum, et quorum argumenta nostra magis referre sit consentaneum: haec opera, inquam, suapte natura animos nostros primo certe obtutu magis oblectare, quis sanus negaverit? Verum enim vero vel inde perspicitur veterum literarum bonitas, quod

quamvis quae illic res tractentur plus bis mille annorum spatio a nostra distent aetate, nihilominus animum sic afficiant, ut, si illorum temporum historiam, illorumque populorum mores probe teneamus, ipsa illa tempestate vivere et cum capitalibus illis ingeniis familiariter colloqui nobis videamur.

Secundo loco rarior est apud veteres ea virtus, qua amabilior vix ulla est, quamque doctrina Christianorum miris modis auctam esse contendo, dico modestiam. Saepe subiit mirari, qui fieri potuerit, ut is populus, cui *sordere propriam laudem* esset in proverbio, fuerit (quod idem non valet de Graecis) saepe tam ridicule iactabundus. Etsi, quicumque, ut hoc utar, Goethii iter Italicum legerit, mihi assentietur ne recentiores quidem isto vitio carere, et quamvis non contendam omnes antiquos Isocrati aut Ciceroni fuisse similes, nihilominus aliquanto crebrius pagani ab hac parte peccare videntur quam Christiani scriptores.

Cum arrogantia implicatum est et arcte cohaeret aliud animi vitium, quo saepius in illorum quam in horum scriptis offendimur, immoderatum dico sui amorem, quem hodie *egoismum* hybrida voce appellamus, quique personis saepe ita ab auctoribus tribuitur, ut ipsi id vitium vix videantur reprehendere. Ut uno exemplo defungar, Alcestidis fabulae Euripideae hoc consilium est, ut celebretur quidem huius feminae eximia virtus, quae pro marito suo mori non dubitaverit, sed non, ut aequum fuerat, reprehendatur a poeta Admetus, qui sibi uni prospiciens dilectam scilicet uxorem pro se mori ignavus passus sit, imo potius vituperentur eius parentes, quod sua morte filium a Plutone redimere noluerint. Equidem vehementer comprobo, quae respondet pater criminationibus Admeti, sed aliam poetae esse sententiam, ex universa dramatis oeconomia liquido apparet. Praeclara autem in veterum quoque scriptis exstare exempla oppositae huic vitio virtutis, furiosi foret negare: sed vere contendere mihi videor, amorem illum, qui homines *suae* salutis immemores *alienae* cogat prospicere, miro incremento auctum esse religione Christiana. Ex eodem fonte largiore flumine manavit vagum illud et ingens desiderium rerum divinarum, cuius iam rivuli perfluunt Platonis, Sophoclis, aliorum opera. Ardenti huic desiderio (quod procul dubio auxit sublimis Hebraeorum poesios cognitio) carmina debentur quam plurima humanis pectoribus ita salutaria, ut vel ea sola de causa recentiores literas commendare

non dubitarem. Praeterea recte, ni fallor, animadversum est veteres, quamvis diligentissimi essent naturae observatores, multum tamen abesse ut cum eadem delectatione et eadem copia, qua recentiores, locis amoenis describendis immorentur. Dum enim poetae in comparationibus, quibus utantur, paene omnibus, imagines a natura mutuentur, eosdem sicubi, quod raro faciant, loci alicuius naturam describere aggrediantur, breves esse et exiles nobis videri prae recentiorum in hoc genere ubertate. Nescio tamen, an rectius et sanius sit nostro in hac quoque re sobrium antiquorum iudicium. Reticere, quia huc facit, non possum Lessingii observationem, quam protulit in Laocoönte. "Körperliche schönheit, ait, "entspringt aus der übereinstimmenden Wirkung mannichfältiger Theile, "die sich auf einmal übersehen lassen. Sie erfördert also, das diese "Theile nebeneinander liegen müssen; und da Dinge, deren Theile neben "einander liegen, der eigentliche Gegenstand der Malerei sind, so kann "sie, und nur sie allein körperliche Schönheit nachahmen." Quae summi viri observatio si vera est, ut verissimam esse puto, de pulchritudine corporea: ego iure mihi videor perhibere, ob eandem causam veteres longiores evitasse locorum descriptiones; ideoque hoc nomine potius laudandos esse quam vituperandos.

Doctrinae Christianae vehementer adversatur, moribusque igitur nostris repugnat, implacabile illud odium inimicorum, quod in veterum scriptis ubique pellucens vel optimis hominibus laude magis quam reprehensione dignum videbatur. Nimirum, ut prodesse amicis, ita nocere adversariis in pace non minus quam in bello honestum olim habebatur ac decorum. Hinc in comoedia antiqua immani haud raro offendimur duritate ac crudelitate, qua poetae adversarios suos illudunt propter egestatem et miserias, quibus conflictentur, aut propter corporis aliquod vitium [1]. Nobis, quibus mitior adque ignoscendum vel inimicis pronior sit animus, istiusmodi iocos vix placere neque admodum salsos videri posse contendo, etiamsi concedam Lessingio, aliquid ridiculi habere corpus vitiosum ac deforme, cui animus flagitiosus et improbus inhabitet. Non magis nego, comoediam

[1]) Huc facit locus Ciceronis de Orat. II, § 238: *Est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum*, et Iuvenal. Sat. III, 152: *nil habet infelix paupertas durius in se quam quod ridiculos homines facit.* Recte iudicat Pericles apud Thucyd. II, 40 § 1.

antiquam nimia saepe licentia ridendi materiem petivisse e spurcissimis libidinibus, quibus illa tempestate polluebatur genus humanum. Sunt tamen, quae notavi, temporum potius vitia appellanda quam hominum aut scriptorum, neque ignorandum veteres, si a recentioribus saepe vincantur modestia, amore proximi, morum puritate, clementia, his rursus longe antecellere aliis virtutibus, inter quas fortitudinem animique constantiam et penitus insitum amorem libertatis principem locum tenere arbitror.

Deinde non est in hac quaestione negligendum, inexhaustos et perennes eruditionis omnigenae fontes manare in scriptis recentiorum, qui in mathematicis maxime physicisque disciplinis quin longe superarint antiquos, iam non dubitavit Ruhnkenius, etsi in elegantissima disputatione *de Graecia, artium et doctrinarum inventrice* multa docet vel in physicis a Graecis praeclare inventa esse, quae recentior aetas pro suis venditarit. Alexandrinorum quidem eruditionem nemo facile contemnet, sed eorundem literas hodie paucissimi, et ipsi videant quo iure, admirantur. Nostra vero aetas quam feliciter utramque laudem, et doctrinae et literarum, coniungit! Multiplici autem citerioris aevi semperque crescenti doctrina cogitandi quoque fines longius prolatos esse tum ipsa res clamat, tum facile potest e recentiorum scriptis confirmari. Tandem, etsi miraculi instar esse arbitror, ab uno populo parum numeroso in regione arctis finibus circumscripto intra annos minus sexcentos et inventa esse et felicissime exculta longe pleraque literarum genera, quae hodie exstent; etsi, inquam, nihil est admiratione dignius, vix tamen necesse habeo dicere, citeriora tempora pauca quaedam tulisse genera populis antiquis aut paene aut omnino incognita, quorum praecipua verbo mihi sunt commemoranda. Pertinet autem huc id fabularum genus, quod pedestri oratione perscriptum plerumque epicam interdum dramaticam continet fictae alicuius historiae expositionem; *Roman* ei scriptionis generi nomen est. Non quidem ignoro iam Xenophontis Cyropaediam, qua perfecti regis imaginem adumbrare conatus est, ad id genus pertinere, nec seris Graecorum nepotibus nugatoria quaedam eiusmodi scripta, erotici plerumque et lascivi argumenti, fuisse in deliciis. Sed nihil Longi Pastoralia, Xenophontis Ephesii et aliorum id genus ineptiae ad summam excellentiam, quam nostro maxime seculo recentiores, prae ceteris Angli, in his fabulis assecuti sunt, idque non

hercle veterum exemplorum, quae vix ulla erant, imitatione sed suapte vi atque virtute. Prorsus autem ignorarunt antiqui id harum literarum genus, cui mixtis rebus seriis et iocosis modo lachrymas ciere modo excitare risum proprium est; humoristicum appellamus, in quo Sternius, Richterus, Dickensius, Reuterus, ut alios taceam, sunt summi artifices.

Poesios quoque fines prolatos esse nostis. Quotus enim quisque vestrum est, auditores, qui non saepe ingentem perceperit voluptatem ex iis carminum generibus, quae antiquis incognita, ne plura commemorem, Romanzae et Balladae vocantur?

His generatim et quam potui brevissime expositis, non possum quin candide profitear me adversari opinioni eorum, qui ita veterum admiratione abripi se patiantur, ut negent hucusque repertos esse recentiore aevo, qui auctores Graecos, *quotquot* in libera patria floruerunt, aequiparaverint.

Num verisimile ducitis, auditores, quod hi autumant? num probabile est per tot seculorum decursum in tot regionibus diversis eam magnorum ingeniorum fuisse penuriam, ut nemo unus, quamvis tam eximiis omnium aetatum exemplis, tam praeclaris perpoliendae mentis excolendique ingenii adminiculis undique adiuvaretur, ut nemo, inquam, unus exstiterit, qui in ullo literarum genere quemquam ex illis hominibus, quorum tamen alius alio fuerit sine dubio longe superior, potuerit superare? Me quidem iudice, auditores, eiusmodi sententia, ex qua desperandum foret de genere humano, nec probabilis est nec vera.

Sunt tamen, fateor, inter Graecos scriptores pauci, qui ob causas quas exponam, non sint a quoquam superati; de quibus dicam deinceps.

Horum agmen ducat Homerus, ut uno nomine comprehendam priscos illos vates, e quorum carminibus composita sunt duo immortalia poemata, quae omnium aetatum esse omniumque populorum iure perhibentur, Ilias et Odyssea. Debentur haec poemata trium maxime rerum concursui, quas nullo alio tempore et alibi nusquam tam feliciter coniunctas fuisse reperietis, aut posthac coniungi posse putabitis. Panguntur enim in regione amoenissima, coeli temperie insigni et serenitate, a populo praedito omnibus tum corporis tum mentis animique dotibus, iis temporibus, quae

populi incunabula audire solent. Inde factum, ut cum Homeri carminibus, quamvis multo longius a nostra distent aetate, tamen, quia, purae ab omni nimio artificio, ipsius naturae referunt nobis imaginem, longe facilius intimam contrahamus familiaritatem quam, ut hoc utar, cum scriptis tragicorum, quae, constituto iam populo legibus atque moribus, characterem exhibeant et quasi sigillum ita peculiare, ut multo difficilius horum veneres quam illorum a nostri aevi hominibus sentiri possint et recte aestimari. Quam rem in pueris instituendis saepe expertus sum: Homerum admirari et diligere omnes, tragicos pauci solebant. A vestrum quoque plerisque, auditores, similis memoriae recordationem non alienam esse, pignore ausim contendere. Plena est Homerica poesis omnium illorum studiorum et cupiditatum, quibus semper et ubique mortalium pectora agitantur; quoque minus quam hodie homines illa tempestate temperare sibi didicerant ab animi permotionibus aperte significandis; eo praeclarius poeta auditoribus suis vivis coloribus depingit principum inimicitias et odia, amores et iras, dolores et gaudia, crudelitatem et misericordiam; eo frequentius aures sensumque nobis permulcent, commoventque animum laeti clamores ac eiulationes, minae feroces flebilesque preces. Vetustissima haec carmina semper nova esse, quis non libentissime concedit Heinio, clarissimo illi Germanorum poetae?

Homeri ea ars est, ut ipsum poetam ars sua latuisse videatur; tanta facilitate et quasi sponte ex eius ore fluit oratio. Haec vero ipsa causa est, cur artificiosa illa et artem prae se ferentia carmina epica recentiorum tanto intervallo post se reliquerit. Nam Vergilii Aeneis, Tassonis Hierosolymae liberatae, Miltonis Paradisus perditus, Klopstockii Messias, et quaecunque alia post Homerum condita sunt epica carmina, quamvis lectu sint dignissima, carent tamen nativa illa et inaffectata simplicitate, carent arte illa (aptius enim vocabulum non succurrit) prorsus *naturali*, qua conspicua sunt antiquissima Graecarum literarum monumenta. Non infeliciter quidem ineunte hoc seculo Germanorum quidam poetae eam artem imitati sunt, palmamque in eo genere tulerunt fere tria poemata: Goethii Hermannus et Dorothea, Vossii Lodovica, Eberhardi Johanna et pulli. Veruntamen non deest, quod in his carminibus reprehendas. Nempe hi poetae tum morum simplicitatem quasi idyllicam mundumque, ut ita dicam, fere

idealem depingunt ea aetate, quam infelicissimam et depravatissimam fuisse novimus, tum, quod gravius est — nam illam veniam Musarum famulis largiendam esse erunt qui suo quodam iure contendant — utuntur ea sentiendi et enuntiandi ratione, quae opposita fronte pugnet cum illa, qua hodie sentire et quae sentimus eloqui nos iubet recentior, sive morem appellare mavis sive conscientiam. Unde fit, ut desideretur illa veritas, qua insignis est poesis Homerica. Ab hac parte cum illa multo rectius comparari possint duo epica carmina veterum Germanorum, quorum alterum *das Nibelungen-lied*, alterum *Gudrun* inscribitur. *Illud*, cuius argumentum est saeva Kriemhildae, Siegfridi uxoris ob interfectum maritum vindicta, totum spirat Martem et sanguinem, itaque habet aliquam cum Iliade similitudinem: *huius* argumentum, quod illo pacatius continetur variis casibus et infortuniis mulieris cuiusdam fidelis ac constantis, cui Gudrun nomen, propius accedit ad Odysseam. Tametsi utrumque poema magna simplicitate et naturae veritate commendatur, locosque continet plane egregios, nihilominus unusquisque concedat necesse est, rudia esse haec carmina et incompta prae Homericis, ne quid dicam de hexametri quam strophae Niebelungicae dulciore sono rythmoque iucundiore. Idem cadit in Eddam, antiquiorem dico: nam de recentiore in hac comparatione ne sermo quidem esse potest.

Praeter Homerum alius est inter auctores Graecos, qui peculiari de causa non est a quoquam superatus, Aristophanem volo, antiquae comoediae, ut hodie certe videtur, principem; de Eupolide enim, Cratino, Platone, aliis propter reliquiarum paucitatem iudicium satis certum ferri nequit. Comoedia antiqua, quae praeter risum excitandi studium, vix quicquam habebat cum recentiore commune, propter summam quemvis quavis de causa illudendi licentiam, coniunctissima fuit cum Atheniensium ochlocratia, quacum et nata est et occubuit, numquam et nusquam terrarum renascitura. Siquidem autem, extra huiuscemodi imperium populare et praeterquam in populo valde ingenioso, ad ridendum alios non magis prono, quam aliorum risum facile toleranti, nullo modo florere potuit effrenata illa comoedia, sponte apparet eius principem a nemine potuisse superari. Quae tenuis sane laus foret et inanis, nisi addere possem, me iudice neminem unum omnium poetarum comicorum, qui fama celebrantur,

tam eleganti, tam acri, tam acuto, tam festivo, tam vasto et vario ingenio fuisse, quam fuit Aristophanes. Non magis quam antiqua media quae dicitur comoedia cum recentiorum fabulis recte potest comparari, et novae comoediae poetarum, quorum scrinia expilarunt Plautus atque Terentius, cognitio, quam ex contaminatis horum versionibus petimus, imperfectior est, quam qua liceat statuere Menandrum, Philemonem, Diphilum arte ingenioque plus aut minus valuisse Molierio, Calderone, Goldonio. Ut nunc quidem res se habet, ego solum comicum Gallum illis praetulerim, licet concedendum sit larga manu et illum et alios non tantum iocos et facetias sed totos subinde characteres integrasque fere scenas ex illorum fabulis derivasse, ut taceam esse comoedias, quas integras imitando expresserint comici recentiores.

Propero ad eum virum, cuius scripta aliquando in hac Academia, interprete Heusdio, cum summa admiratione uberrimoque fructu legebantur ab omnibus, quibus vera humanitas curae esset cordique. Erat in Platone incredibilis quaedam et singularis ac prope divina vis ingenii, illumque ausim scriptorem paene perfectum appellare. Hic enim optime assecutus est, quod proponebant sibi veteres omnes, ut oratione aequarent res, quas tractandas sibi sumsissent, ut verbo dicam, forma materiem. Scripsit autem Plato de iis rebus, quas cognoscere et perspicere omnibus omnium aetatum hominibus semper summum visum sit bonum, idque tam splendide, tam terse, tam eleganter, ut nihil supra possit. Quis unquam philosophus de rebus ita reconditis atque abstrusis egit tam clara ac perspicua et simul adeo venusta ac lepida oratione? Huius scripta evolvens dubites saepe sitne maior philosophus an poeta; si poeta, nescias utrum tragica arte an comica magis excellat; interdum, ubi rerum divinarum admiratione abripitur, dithyramborum poetae instar bacchari et furere videtur. Nae, omnino assentior egregio cuidam huius Academiae alumno, qui inter nostrates bene scribendi laude ipse cummaxime excellit, nondum natum esse, qui Platonem hac laude aequiparaverit. Idem rectissime intellexit philosophum tam eximie scribentem non potuisse nasci nisi ea tempestate, qua nondum, ut hodie, tritae essent omnes philosophiae semitae, quaque hilaris illa nec nimium curiosa sapientia, qualis iuvenem deceat, floreret, nondum senilis illa moestitiae plena doctrina, quae Faustum scrutando et

investigando defessum eo perduxerit, ut de sua deque generis humani salute desperaret.

Restat ut commemorem oratorem, cuius vel ipsum nomen eloquentiae principem designat. Demosthenici enim nominis splendore et popularium ipsius omnium et Ciceronis (quanti vero oratoris!) fama obscurata est; nec fuit inter recentiores, credo, quisquam ita disertus et eloquens, ut cum illo de principatu contendere potuerit. Cuius viri, ut reliquas virtutes oratorias omittam, *ecquem* in recentiorum oratorum numero fuisse putatis, de quo simili iure dici potuerit, quod verissime observatum est in Demosthene, *nihil esse in eius oratione*, *quod sine detrimento addi demive posse videatur?* Nolite autem mirari summum omnium temporum oratorem in Attica potissimum floruisse; nam erant Athenae, quamdiu vigebat populare imperium, dicendi quasi palaestra, in qua summa virium contentione id agebant omnes, ut in comitiis ita verba facere valerent, ut quaecumque vellent persuaderent populo. Quantam vero dicendi exercitationem fuisse arbitramini in perpetuis illis causis forensibus, in panegyricis et funebribus orationibus aliisque eius generis, quod ἐπιδεικτικόν Graeci appellant; tandem in philosophorum et sophistarum disputationibus. Ceterorum oratorum Graecorum eloquentiam aequarunt fortasse Gallorum et Anglorum in hoc genere principes; quosdam, v. c. Lycurgum, superarunt bene multi.

In antiquis historicis prae recentioribus laudandis multus est Ruhnkenius, qui in lepida oratione de Doctore umbratico ita scribit. „Hi quidem „cum omnem vitam in reipublicae luce, in bello, in foro, in legationibus, „aliisve civitatis muneribus transegissent aut mores venustorum hominum „consuetudine excoluissent, simillima splendidae vitae monumenta literis „prodiderunt. Nihil in illis humile, nihil putidum, nihil ineptiis fuca„tum: omnia lucent naturali pulchritudine, et singulari quodam splendore, „quem magni et elati animi tanquam spiritus afflavit."

Idem alibi haec: „Profecto nec bellum commode narrabit, qui nunquam „pulverem, solem, clamorem, castra viderit, nec rerum publicarum virtutes „aut vitia intelligenter explicabit, qui in obscuris angulis vixerit, nec „arcana aulicorum consilia assequetur, qui ne privatorum quidem ingenia „cognorit. Atque hinc ratio repetenda est, cur, quicquid aetas nostra in „hoc genere efficere conetur, cum antiquis historiae monumentis comparatum

„sordeat. Hodie vero quam abiecta est et depressa historiae conditio! ad „quam scribendam umbratici fere homines studium suum conferant, iidem„que, quo nihil turpius est, mercede conducti. Itaque ieiunis et maci„lentis annalibus commentariisque abundamus: historiae quod nomen „mereatur, vix habemus." Etsi verissima sunt, quae de historicis *antiquis* Ruhnkenius scribit, ego tamen nullus dubito quin ipse, si nostra aetate vivens cognovisset Macaulyum, Rankium, Schlosserum, Gervinum, Thiersium, Guizotum, alios, multo magnificentius sensisset de rerum scriptoribus, quos tulit aevum recentius. Quid, si cognovisset, quem deorum invidia immatura morte rapuit, Thomam Buckle, qui certam a Mathematicis Physicisque petitam methodum primus Historiae adhibere sustinuit, cuius philosophiam, de qua veteres ne somniarunt quidem, utinam alii imitentur! Non sunt hi quos dixi aut erant umbratici homines, et, si rerum civilium ac militarium usu vincuntur ab illis, illorum tamen plerisque arte critica praecellere existimandi sunt. Vestro autem iudicio permittere quam ipse in mea oratione ponere malo, an eorum quos nominavi quisquam anteponendus sit veterum historicorum principi, Thucydidi, qui ut recte iudicat Cicero, ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur: ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione an verba sententiis illustrentur. Hoc certe nescio an sine temeritatis suspicione contendere possim, Herodotum et Xenophontem (cuius ut est Anabasis egregium opus, ita Hellenica tanta viri fama prorsus indigna sunt) Xenophontem, dico, et reliquos omnes antiquos rerum scriptores hodie non amplius censendos esse posteris omnem sui consequendi spem abstulisse. Etsi autem res est iudicii valde ancipitis, ac perdifficilis videtur antiquorum et recentiorum praesertim in hoc genere comparatio, quia optimus quisque historicus antiquus [1]) suam maxime aetatem secundum ea praesertim quae ipse vidisset aut fando audivisset describebat, recentiorum contra plerique e fontibus diversissimis suas praeteritorum temporum historias condere solent: nescio tamen an sic liceat statuere, veteres rerum scriptores imprimis excellere pulchra orationis forma ac dramatica rerum enarratione: recen-

[1]) Hic quoque de historicis ante Alexandri aetatem me loqui vix est quod moneam. Itaque historiae pragmaticae Polybianae laudes excluduntur huius argumenti finibus. Scribendi autem et compositionis artificio facile ille vincitur a recentioribus plurimis.

tiores vero critica veri exploratione et philosophica causarum et effectuum declaratione.

Ad poetas ut veniam, nullam facile literae Graecae iacturam passae sunt maiorem quam Lyricorum poematum, quorum, exceptis tragicorum et comicorum choris cum Pindaro, nil praeter fragmenta servatum est eaque saepe ita brevia, ut exstent necne parum intersit. Solus qui integer superest cycnus Thebanus propter carminum argumenta multum abest ut hodie aeque possit legentibus placere atque audientibus illa aetate, qua curriculo pulverem Olympicum collegisse iuvabat. Latinae quidem poesios Lyricae minus iniqua conditio est, sed candide fateor me Horatio, Catullo, Tibullo, Propertio, longe anteponere summos huius maxime seculi in hoc genere artifices, quales sunt, ut paucissimos memorem, Byron, Moore, Goethe, Heine, Geibel, Beranger, Musset. Neque iniuria, me iudice, quaeri possit, annon Romanticum genus suapte natura sit Lyricae poesi aptius quam classicum, siquidem affectuum et permotionum declaratio habere solet aliquid ita vagi ac parum definiti, ut forma materiem aequare saepe frustra niti videatur.

Omni invidia maiores esse arbitror Graecorum tragicos, prae ceteris Sophoclem, cuius Oedipum Regem (Antigonam componendi arte inferiorem [1]) esse iudico) omnibus numeris absoluta et paene dixerim perfecta tragoedia est, neque affirmare dubitem vix quidquam in Gallorum, Etruscorum, Hispanorum, quoad mihi innotuit, poesi tragica reperiri, quod consummatae illi arti possit anteponi. Goethii Schillerique de tragoedia merita quoniam apud homines peritissimos dico nunc taceo, sed reticere nec volo nec possum, exstitisse seculo decimo septimo in Anglia hominem tam stupendi ingenii, ut ipse Sophocles, credo, si ab illo ipsius aetate vivente in certamen poeticum fuisset provocatus, verbis eum Homerici Diomedis potuisset compellare:

εἰ δέ τις ἀθανάτων γε κατ' οὐρανοῦ εἰλήλουθας,
οὐκ ἂν ἔγωγε θεοῖσιν ἐπουρανίοισι μαχοίμην.

---

[1]) Argumenti contra ideaeque fundamentalis gravitate Oedipum me iudice vincunt et Antigone et Philoctetes.

Fuit enim revera deus inter homines Shakespeare, qui omnes superiorum temporum tragicos ingenio vincens, irrita fecerit omnia seriorum poetarum ipsum aequandi conamina. Quanta non modo animus delectatione perfunditur, sed etiam pascitur atque alitur mens legentibus dramata eximii illius viri, cuius singulos versiculos, quod Cicero dixit de Euripide, singula testimonia equidem existimo. Quis unquam tragicus scripsit drama tam egregiarum sententiarum, tam acutarum observationum, tam gravium et elatarum cogitationum plenissimum, quam est eius Hamlet, aut quis mente potuit concipere opus tam reconditae sapientiae tamque ingentis phantasiae, quale est King Lear; aut characteribus et cordis humani intima cognitione insignes tragoedias, quales sunt, quae inscribuntur Macbeth et Othello? Sed huius hominis incredibili ac prope divino ingenio quae potest oratio par inveniri?

Tametsi huic veterum cum recentioribus comparationi, cuius difficilius est exitum quam principium invenire, plurima deesse optime intelligo, auditores, tamen quominus pluribus hanc hodie persequar, excludor temporis angustiis; quapropter meo quidem consilio pauca illa sufficere ratus, post breve intervallum, transibo ad alteram partem huius orationis, qua futuros Philologos paucis sum adhortaturus, ne recentiorum literarum cognitionem contemnere velint.

Ex iis, quae supra strictim disputavi de quaestione perdifficili, ad quam bene dirimendam singulari opus foret ingenio et doctrina vasta ac multiplici, satis tamen hoc potuit vobis apparere me, quamvis literas antiquas, quibus bona pars hodiernae humanitatis debeatur, vehementer admirer, procul tamen abesse, ut despiciam aut vilipendam cum recentiorum temporum tum nostrae praesertim aetatis opera plane egregia. Vix autem ulla res ex mea quidem sententia ad ipsos veteres recte iudicandos et aestimandos philologo utilior esse potest, quam si cum horum studio coniungat lectionem optimi cuiusque e recentioribus, qui in simili literarum genere elaborarint. Melius enim, ut hoc utar, Graecae tragoediae indolem perspiciet, qui Sophocli et Aeschylo socios adiunxerit Goethium et

Shakespearium, Euripidi Racinium et Schillerum; epicae poesios — sed quid singula referam? nam idem valet de ceteris. Sic demum clare ei apparebit, quid in veterum scriptis uni aetati sit proprium, quid omnibus temporibus commune; quid sit uni populo peculiare, quid omnibus nationibus conveniat. Quam rem bene perspexisse quantivis est pretii: ut enim quaecunque pendeant a sentiendi cogitandique ratione nostrae aetati incongrua, aque moribus alienis ab hodierna humanitate repudianda esse nostri aevi scriptoribus satis liquet, ita his summo studio sunt imitandae eae veterum in scribendo virtutes, quae ab excellenti ingenio, mente sana, recto iudicio et intimo pulchri sensu profectae, summorum omni aetate virorum excitarunt admirationem. Quibus virtutibus in clara luce positis, vel hodie literae antiquae nostris literis multum prodesse poterunt. Sic demum intellecti, veteres manebunt omnium aetatum magistri! Si igitur e recentiorum quoque literarum cognitione mirificus colligi potest et iucundissimus fructus humanitatis, consentaneum est philologos, qui prae ceteris humani esse et haberi velint, eo nomine vix esse dignos, si veterum illorum temporum et literarum unice curiosi, in iis humani ingenii monumentis, quae, nostrae aetati propiora, summa delectatione vel ab indoctis leguntur, peregrini atque advenae esse videantur. Quem autem philologum non pudeat pigeatque, ubi in conviviis circulisque sermo forte inciderit de his literis, vel a mulierculis in hoc genere vinci et identidem cogi rei, de qua agatur, suam ignorantiam confiteri? Attamen cognovi qui, sive aliquo iudicii errore ita opinarentur, sive turpis inscitiae pudorem hac ratione celare studerent, bonas horas melius collocari posse iactabundi crepârent quam in discendis istis, quae scirentur necne, parum aut nihil referret. Quali superbia, credite mihi, non lucramur aliud quicquam nisi ut, alios aliorumque studia spernentes, ipsi despiciamur ac contemnamur ab aliis. Inde factum, ut ii, quorum studiis summa humanitas, modestia, elegantia, urbanitas coniuncta sit oportet, haud raro ceteris hominibus doctores quidam umbratici esse videantur inopes humanitatis, subagrestes, vani, arrogantes, inepti, ridiculi.

Quid igitur, dixerit quispiam, tu qui huc vocatus es, ut studiosam iuventutem literis Graecis erudias atque Latinis, tu, ut recentioribus literis dent operam, a severioribus illis studiis futuros tuos discipulos

avocare non erubescis? Si quis tale huius orationis consilium esse putat, nae, hunc omnino propositum meum fefellit: non enim potest quicquam cogitari, quod a mea voluntate *magis* abhorreat. Nam ego, si quis alius, habeo persuasissimum, nihil ad animi ingeniique cultum esse efficacius quam acre et intentum studium veteris aevi monumentorum. Verum non pertinet haec oratio potissimum ad eos, qui per breve spatium in hac veterum literarum palaestra moraturi, mox aliarum disciplinarum doctoribus tradentur. Hos potius revocarim ab illis recentioribus deliciis, quibus nimium saepe sine ulla methodo et tempus fallendi causa dediti, severa studia detrectent. Eosdem *propediem* docebo, quid sit cur veterum literarum studium illis omnino iudicem esse necessarium, et cur putem *recentiorem Philologiam*, quamvis haec bene distinguenda sit a futili ista et levi librorum diversissimorum lectione, carere tamen illa vi propaedeutica, quae propria est philologiae antiquae. Haec illis *tunc: Hodie* futuris *Philologis* volui significare, quae sit mea *de universo studio literarum* sententia. Hi ne eas disciplinas, quibus vitam consecrare decreverint, neglecturi sint, non id, hercle, est quod vereamur; sed hoc metuo, ne aliorum secuti exempla, finibus *nimis* angustis veram humanitatem inclusam esse opinentur. Qua opinione quia nihil est vel humanitati vel ipsi philologiae perniciosius, officii mei esse putavi tam exitioso errori, quantum in me esset, adversari. Veterum literarum laude aliquando nostrates ceteras nationes omnes superasse constat, neque hodie desunt, qui hanc gloriam avitam egregie tueantur. Quorum exempla iuniores imitemur, sed ita, ut non simus immemores, quid tempora postulent. Postulant autem, imo flagitant ut tandem diruatur inexpugnabilis ille murus, quo quae genere cognata sunt, ut aliena, adversaria, inimica separantur. Flagitat horum temporum ratio, ut non amplius, quam rem laudi sibi ducebant multi praeteritorum seculorum philologi, viri habeamur ut illi loquebantur *plane antiqui*, sed multo potius, ut *nostri aevi* esse videamur, hoc est, ut eximia, qua veteres excellunt, sanitate et intimo illo, quo Graeci inprimis insignes sunt, sensu pulchri imbuti, fiamus *omnis* elegantiae *idonei* iudices, deinde ut quo pacto e veterum humanitate nostra orta sit, intelligere possimus. Non defuisse autem iam seculo superiore patriae nostrae philologos vere liberales, qui propemodum eandem, quam ego nunc, sententiam defen-

derent, testantur Ruhnkenii oratio *de doctore umbratico* et, conditum ab eodem, *elogium Hemsterhusii.* Non deesse hodie, qui eandem tueantur, etiam si non dicam, intelligetis. Verum non omnes philologos qua nos vivimus aetate ita iudicare, hoc est quod queror, Auditores!

Perfectus autem omnibusque numeris absolutus philologus is demum foret, qui omnium aetatum omniumque populorum literas callens, quid sit ubique in quovis genere praestantissimum, certo iudicio aestimare posset: sed quoniam et vitae brevitate et imbecillitate naturae humanae, quominus ad tantam evehamur excellentiam, prohibemur, multo satius esse arbitror, alios hanc alios illam literarum partem diligentius tractandam sibi sumere, quam multa movendo proficere nihil: quicquid enim attingimus, nisi omni carebit utilitate, magnam requirit industriam animique contentionem. In una igitur parte literarum habitare quasi debemus; sed nihil obstat, quominus in ceteras subinde animi causa excurramus, ita tamen, ut mox in patriam reversi novo semper amore hanc prosequamur inque huius usum convertamus, quae peregre didicerimus. Quemadmodum autem requiro, ut ne philologus sit in recentioribus literis plane hospes, ita prorsus necessarium esse iudico, eum, qui in his vitae tabernaculum ponere statuerit, prius antiquis literis operam navari haud exiguam, ut et omnium generum origines pernoscat et certam inde ac stabilem interpretandi et criticam exercendi methodum petere possit. Hic Gervini, ille (philologum dico) Geelii imaginem sibi ponat ante oculos, quorum uterque in diverso genere veram aestheticam ab arte critica separari non posse exemplo suo luculenter probavit.

A philologo autem, cui ante omnia (qui iam per se herculeus paene labor est) id agendum, ut linguam Graecam atque Latinam et utriusque populi literas et antiquitatem probe cognoscat, a philologo, inquam, ridiculum foret poscere, ut bonam partem diei in recentiorum libris legendis consumat. Suffecerit ei, opinor, ut neglectis scriptis eorum, qui secundi tertiive sint ordinis, adeat ipsos illos citeriorum temporum heroes, quales sunt Shakespeare, Goethe, Dante, alii. In hoc quoque genere valet: *non multa sed multum.* Illis legendis animum subinde relaxato per horas subcesivas (otio, credite mihi, peius abutuntur multi), et acrior redibit ad ea studia, quibus vitam suam consecravit.

Obscurum autem vobis non esse reor, me haec praecipere vero philologo, qui bonarum literarum amore flagret, non baiulo isti, qui hac sola ambitione contentus sit, ut posthac habeat scilicet, unde vivat. Non erit ille monendus, ante omnia cavendum esse, ne illius, quod dixi, ornamenti nimium studiosus, negligat literas antiquas; nam ipse probe intelliget eum, qui aliis rebus, quas scire plane necessarium non sit, intentus ignoret eas, quas, ut munere suo recte fungatur, scire prorsus debeat, omnium consensu civem inutilem esse, ne dicam perniciosum.

Etsi multa, Auditores, his addere possem, quibus commendarem philologis studiorum rationem liberalem et ab omni superstitione remotissimam, nolui tamen diutius abuti patientia vestra.

Hoc unum certe spero me vobis probasse, literarum nullum mihi fructum suaviorem videri nec iucundiorem quam veram illam humanitatem, quae conspiciatur in vitae morumque docta elegantia, quicquid pulchrum sit et decorum amanti, aspernanti turpia atque inhonesta, inque urbana et liberali eruditione, cum modestia coniunctissima, alienissima ab omni reliquos et reliqua contemnenti, se suaque stolide efferenti iactantia.

His virtutibus ut mihi, et quot instituturus sum discipulis ornari contingat, hac re, Auditores, quod vehementius desiderem, nihil est!

Curatores huius Academiae, viri illustrissimi! Quo tempore Karstenii, viri clarissimi, subita mors luctu acerbissimo Musas Ultrotraiectinas affecisse nuntiabatur, non erat facile inter Gymnasiorum doctores in patria nostra quisquam, qui minus quam ego suspicaretur fore, ut sibi potissimum deferretur honor succedendi in tanti viri locum. Quum igitur prorsus insperato rescivissem, me commendatum a vobis Regis augustissimi decreto ornatum esse munere honorificentissimo, quo tandem animo me fuisse arbitramini? Gavisum me esse laetissimo nuntio, cur negem? Qui enim in scholae obscuritate et angustiis vitam me transacturum crediderам, vestro beneficio in Academiae lucem camposque late patentes eram migraturus, ubi non, ut antehac, pueros docerem literarum elementa sed iuvenes optimis artibus erudirem; quem hucusque solus scientiae amor ad indu-

striam incitaverat, nunc mihi stimulum additurus erat laudis, ubi versarer in oculis omnium, vehemens cupido. Laetabar igitur, sed ita laetabar, ut simul metuerem, ne tanto essem negotio impar. Animo enim meo obversabantur heroes illi, qui quondam hanc cathedram occupantes ingenii doctrinaeque suae fama per totam Europam inclytam reddidere Academiam Rheno-traiectinam. Nam quis ignorat Graevium, Burmannum, Drakenborchium, Dukerum, Wesselingium, Saxium per unum fere seculum et dimidium veterum literarum laude hanc universitatem ita cumulasse, ut Lugduno-Batavorum illam, omnium illa aetate Academiarum facile principem, in hac certe disciplina, passibus haud nimis iniquis sequeretur. Quam autem ei gloriam horum virorum praestantia peperit, egregie continuasse Heusdium et Karstenium docta utriusque opera et nobis documento sunt et posteris testabuntur. Mihi si tantam ingenii vim natura negavit; horum tamen exempla quotidie mihi ponam ante oculos, quae intentis viribus quamvis e longinquo sequar. Fide certe et industria et, quo totus ardeo, literarum amore meam comparati cum illis mediocritatem compensare aliquatenus potero. Hac spe, nec minus vestra sapientia fretus fortasse plus oneris suscepi, quam ferre me posse intelligo. Hoc onus, si vos benevolentia vestra aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, studio et industria, et quaequae erunt difficultates, animo non deficiam. Omnem igitur, viri illustrissimi, operam in id collaturus sum, ne quid unquam vestra Academia dedecoris ex me cepisse videatur.

Professores viri clarissimi! Ut sui cuique mores fingant fortunam, ita sua cuique merita laudem parere et gloriam, probe intelligens ego non committam, ut, quod hodie in ordinem vestrum recipi mihi contingit, insigni illo honore insolenter glorier. Quo honore non ante dignum me esse iudicabo, quam re et factis ostendero, me, quod vos facitis, et prodesse huius Academiae alumnis et pro virili parte tueri eius famam apud exteros. Multum vero abest, ut, quod ardentissime cupio, intra breve temporis spatium me assecuturum esse audeam sperare. Sed erigit mihi animum tum iuventutis meae tum ferveris, quo ad difficillimum munus accedo, conscientia. Nitar et nitendo, quo tendo, aliquando perveniam. Vos modo, qui tum doctrina et eruditione, tum usu atque experientia

longe superetis mediocritatem meam, vos quaeso me, ubi erit opus, adiuvetis consilio vestro. Sed enim quid rogo, quod iam ante animo et cogitatione vos mihi concessisse suspicor? ita comiter ac benigne me in numerum vestrum recepistis. Tua, Fruin, vir egregie, plane singularis fuit erga me, quem vix noras, benevolentia, cuius nunquam ingratus obliviscar. Tu tua, mi Koster, amicitia, qua Leidae paucis abhinc annis coniuncti vivebamus, Traiecti ad Rhenum me beare, sat scio, perges. Ut patriae et amicis quam diutissime serveris, valetudini tuae, quaeso, consulas diligentissime.

Vobis imprimis, quos angustiore vocabuli sensu collegas salutare mihi licet, Professores Facultatis Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum! vobis vestraeque benevolentiae me etiam atque etiam commendo. Dicere vix possum, Opzoomer, vir clarissime, quanto gaudio animus meus perfunderetur, quum tu, cuius gloriam patriae nostrae fines non continent, mihi homini obscuro fere et ignoto amicitiam tuam offerre dignareris. Hanc quanti faciam quamque avide arripiam posthac factis probare quam nunc in oratione mea ponere malo. Haud minus vestra amicitia, Rovers, Brill et Millies, viri egregii, me indigere penitus sentio; de qua mihi conciliandа, si coniecturam facere licet e vestra erga me comitate, nondum est, quod desperem. Quo magis autem vos mihi favebitis eo melius, fretus auxilio vestro, quod suscepi onus sustentabo.

Quam vellem, tua mihi iam suppeteret eloquentia, Cobet, vir clarissime, ut intimum animi mei sensum diserte significarem, quum te hic adesse video dilectissimum praeceptorem gratus discipulus. Iam si dicam te tua praesentia cumulasse huius diei felicitatem sat scio te mihi habiturum fidem neque requirere ut coner esse eloquentior quam dedit mihi natura. Nam ut homines quo sunt eruditiores eo humaniores et clementiores esse solent, ita in humanitate tua, quam saepe sum expertus, meae infantiae firmum praesidium esse existimo. Tu mihi studiisque meis, quod hucusque fecisti, favere, quaeso, pergas. Tibi si probabor, non erit quod ceterorum iudicia magnopere extimescam. Diu tu praeclaro tuo ingenio avitam nostratium in philologia gloriam felix tuearis.

Etsi nemo est me alienior ab ostentando et quasi evulgando sacras illas animi permotiones, quae proficiscuntur ex amore filii erga patrem, in huius tamen festi diei laetitia non possum quin paucis te, pater dilectissime, compellam. Nam quid dulcius mihi esse officium, aut quae magis opportuna hacce occasio dari unquam poterit, palam de te profitendi, nullum unquam patrem te luculentius ostendisse, quantopere filium suum diligeret. Tu enim in re tenuiore, quum ipse cum matre egregia liberorum tuorum causa ab omnibus iis abstineres, quae vitam commodam ac iucundam facere vulgo existimentur, a nullo unquam sumtu refugiebas, quem, ut ego quam optime educarer atque instituerer necessarium esse non scires dico, sed suspicareris. Quae tua beneficia, mi pater, tanta fuerunt, ut, si singula referrem, metuam ne fides mihi non haberetur.

Quicquid ego sum, tui sum muneris. Si qua erunt aliquando mea de literis deque hac Academia merita, tua illa laus, tuus ille honor, mi pater, erit. Tuas eximias virtutes, modestiam imprimis prorsus singularem et egregiam pietatem, etiamsi assequi non valeam, imitari tamen conabor: vix enim quicquam magis expetendum mihi videtur, quam ut tui fiam quam simillimus. Diu tu, si quid mea vota valebunt, cum matre carissima felix eris meae felicitatis testis.

Tandem, quo iamdudum animus meus ac voluntas properavit, converto me ad vos, generosi adolescentes, celeberrimae huius Academiae alummi, quorum praeceptor ut fierem, debeo tum Fortunae tum spei, quae in me collocata est, beneficio. Quam spem ut ne fallam, non mea ipsius gratia ardentius concupiseo quam vestra, quorum nihil magis intersit, quam ut solida literarum doctrina imbuamini, priusquam ad alia studia transeatis. Qua re probe intellecta, maiores nostri quantam in diversissimis disciplinis gloriam sibi pepererunt! Horum praeclarissima vos exempla imitati, mente tota incumbatis in hoc studium humanitatis, quo ad animum excolendum, ad alendam illuminandamque mentem, ad excitandum ingenium, ad acuendum iudicium sensumque pulchri nullum efficacius esse longa docuit seculorum experientia. Tametsi paene vereor ne, qui e vestro numero antehac e perenni fonte doctrinae, quam sibi Karstenius paraverat, haurire solebant, meos rivulos contempturi sint, aliqua

tamen me spes tenet fore, ut quae mihi forte desint, indefesso labore possim compensare. A meo certe officio me non discessurum vobis spondeo; vos ne vestro desitis, meo quodam iure postulare mihi videor posse Mutua nostra amicitia, qua non est alia res bonis studiis utilior, nullo firmiore fundamento niti poterit quam bona mea vestri et vestra mei existimatione. Audivistis, verbis enim utar iisdem, quibus magnus quondam philologus in simili occasione allocutus est discipulos suos, audivistis, qualis sit, quam profiteor, disciplina: non tetrica, non morosa, non umbratica, sed humanitatis comitatisque magistra. Non tristem me fuisse ludimagistrum probe sciunt qui pauci vestrum me norunt; nolite igitur metuere ne repente indolem meam mutaverim; non cupidus aut immitis sed severus ac integer ero vestrorum studiorum iudex et moderator; non adeo ut multa quam ut multum discatis operam dabo vobiscum. Vos autem ne mihi desitis, enixe rogo. Sed non deeritis, opinor: nam si vestrae maxime aetati proprium est, quicquid pulchrum sit ac honestum omni animi impetu diligere, amare, amplecti, laudare: dubium non esse reor, quin veterum monumentorum pulchritudo vos traductura sit in admirationem. Quoniam vero nemo admirari potest, nisi quae penitus intelligit, ego ut recte ea interpretari doceamini, non mediocrem operam me daturum vobis polliceor. Vos, quaeso, commilitones, alacres sequamini, qua ego hilari animo omni studio et optimae spei plenus praeibo.

DIXI.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE AB EXACTIS FERIIS AESTIVIS ANNI CIƆIƆCCCLXIV USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLXV

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

IACOBO ISAACO DOEDES.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Historiam librorum Novi Foederis sive *Introitum in Novum Foedus* tradet B. TER HAAR, diebus Lunae et Iovis, hora X.

Historiam Ecclesiae Christianae enarrabit B. TER HAAR, diebus Lunae et Martis, hora XI.

Historiam dogmatum exponet B. TER HAAR, die Mercurii, hora XI.

Ethicen Christianam docebit B. TER HAAR, diebus Martis et Mercurii, hora X.

Exercitationes oratorias et disputationem theologicam moderabitur B. TER HAAR, horis et sibi et auditoribus commodis.

Philosophiam de Deo s. Theologiam naturalem tradere perget I. I. DOEDES, die Mercurii, hora I, die Iovis, hora XI.

Criticen textus librorum N. F. tradet I. I. DOEDES, die Martis, hora XII.

Hermeneuticen librorum N. F. tradet I. I. DOEDES, die Mercurii, hora II.

Exegesin librorum Novi Foederis tradet I. I. DOEDES, interpretando *I Pauli ad Corinthios epistolam*, diebus Lunae et Martis, hora I.

Exercitationes catecheticas moderabitur I. I. DOEDES, die Martis, hora II.

Theologiam biblicam Novi Foederis exponet I. I. VAN OOSTERZEE, die Lunae, hora IX.

Theologiam dogmaticam docebit I. I. VAN OOSTERZEE, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Theologiam practicam tradet I. I. VAN OOSTERZEE, die Martis, hora IX, et die Veneris, hora X.

Exegesin Veteris Foederis tradet H. C. MILLIES, interpretandis Prophetarum Nahumi et Habacuci vaticiniis, die Iovis, hora XII, die Veneris, hora XI.

Commilitonibus *orationes sacras* habentibus praesides aderunt B. TER HAAR, I. I. DOEDES et I. I. VAN OOSTERZEE, diebus et horis tum sibi, tum commilitonibus maxime commodis.

IN FACULTATE IURIDICA.

Ius Pandectarum enarrabit B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora XI.

Historiam Iuris Romani tradet B. I. L. DE GEER. diebus Lunae et Veneris, hora I, die Iovis, hora X.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. I. L. DE GEER, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita tradet G. G. VREEDE, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora IX.

Ius Publicum Batavum exponet, dein *Iurisdictionis administrativae*, quae dicitur, caussas selectas tractabit G. G. VREEDE, diebus Lunae et Martis, hora VIII, die Mercurii, hora I.

Ius Gentium Europaeum tradet G. G. VREEDE, diebus Martis et Saturni, hora X.

Ius criminale docebit G. G. VREEDE, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, die Iovis, hora XI, die Veneris, hora I, die Saturni, hora VIII.

Ius civile Nederlandicum docebit I. A. FRUIN, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora IX, die Saturni, hora I.

Ius mercatorium et maritimum exponet I. A. FRUIN, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora X.

Legem Iudiciorum privatorum explicabit I. A. FRUIN, die Iovis, hora IX et X, die Saturni, hora XII.

Exercitiis forensibus praeerit I. A. FRUIN, hora deinde indicanda.

Oeconomiam politicam docebit O. VAN REES, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XII.

Statisticam explicabit O. VAN REES, diebus Martis et Iovis, hora XII, die Veneris, hora II.

Historiam Europae politicam tradet O. VAN REES, die Martis, hora I, die Mercurii, hora II, die Iovis, hora I.

Publicis disputandi exercitiis praeesse parati sunt Iuris Professores.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Logica docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora II, ad librum suum, cui titulus: *het wezen der kennis*, editum Amstelodami a bibliopola I. H. Gebhard, anno 1863.

Metaphysica docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora I.

Historiam Philosophiae veteris explicabit C. G. OPZOOMER, die Lunae, hora II et III aliave commodiore.

Antiquitates Romanas exponet I. A. C. ROVERS, die Martis, hora X et I, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Historiam Gentium enarrabit I. A. C. ROVERS, die Martis, hora XI, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora X.

Historiographiam veterem tradet I. A. C. ROVERS, hora auditoribus commoda.

Literas Hebraicas docebit H. C. MILLIES, tum Grammatica explicanda, tum parte I libri Samuelis legenda, die Martis, hora X, die Iovis, hora XI, die Veneris, hora IX.

Literarum Arabicarum initia tradet H. C. MILLIES, diebus Mercurii et Veneris, hora XII.

Antiquitates Israëlitarum explicabit H. C. MILLIES, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX.

Locos selectos Scriptorum Arabicorum, Chaldaeorum et Syriacorum cum provectioribus leget H. C. MILLIES, die Mercurii, hora V.

Rationem Linguae Patriae tradet G. G. BRILL, die Lunae, hora I, die Martis, hora II, die Saturni, hora XI.

Historiam Patriae enarrabit G. G. BRILL, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Historiam Literarum Patriarum exponet G. G. BRILL, diebus et horis auditoribus commodis.

Lectiones de *Literis Graecis* atque *Latinis*, et de *Antiquitatibus Graecis*, uti etiam *scholae paedagogicae*, postea, lecto Clar. KARSTENII successore, indicabuntur.

IN FACULTATE MEDICA.

Physiologiam docebit F. C. DONDERS, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora X, die Martis, hora IX.

Histologiam exponet F. C. DONDERS, die Martis, hora XI, die Iovis, hora IX.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in Laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. DONDERS.

Materiem medicam et praecipua *Therapiae generalis* capita exponet G. I. LONCQ, die Lunae, hora II, diebus Mercurii et Veneris, hora IX.

Pathologiam et Therapiam specialem tradet G. I. LONCQ, die Lunae, hora VIII, diebus Martis et Iovis, hora IX.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, hora XI, in Nosocomio Academico.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora VIII.

Exercitationes policlinicas in arte chirurgica et *ophthalmiatrica*, diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni, hora IX; *clinicas*, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora X, moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, in Nosocomio Academico.

Operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis, qualibet oblata occasione, praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die Saturni, hora VIII.

Artis obstetriciae theoriam exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I; morbos puerperarum et neonatorum, die Iovis, hora VIII.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeerit L. C. VAN GOUDOEVER, die Lunae, hora XII—II, die Veneris, hora I, et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

Ophthalmologiam docebit et *exercitationes clinicas in ophthalmiatria* moderabitur F. C. DONDERS, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora II, die Saturni, hora XI.

Anatomen tum *systematicam*, tum *topographicam* docebit G. KOSTER, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis XII.

Pathologiam generalem docebit G. KOSTER, die Lunae, hora IX, die Veneris, hora X et XI.

Exercitationes anatomicas practicas moderabitur G. KOSTER, quotidie hiberno tempore.

Sectionibus cadaverum praeerit G. KOSTER, qualibet oblata occasione.

Artem diagnosticam physicam tradet P. Q. BRONDGEEST, Medicinae Lector, diebus Martis et Veneris, hora VI dimidiata.

Artis diagnosticae propaedeutica exponet P. Q. BRONDGEEST, diebus Lunae et Iovis, hora VI dimidiata.

Exercitationes practicas in Medicina forensi moderabitur P. Q. BRONDGEEST, diebus Martis et Iovis, hora II.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. VAN REES, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora I.

Mechanicam analyticam tradet R. VAN REES, diebus Lunae, Martis et Iovis, hora XI.

Chemiam anorganicam docebit G. I. MULDER, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII.

Chemiam organicam docebit G. I. MULDER, diebus Iovis et Veneris, hora XII.

Chemiam practicam exponet G. I. MULDER, quotidie in Laboratorio chemico.

Colloquia Chemica habebit G. I. MULDER, die Mercurii, hora II.

Zoologiam exponet P. HARTING, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora XI, die Martis, hora X.

Anatomiam, Physiologiam et Histologiam comparatam tradet P. HARTING, diebus Martis et Iovis, hora II.

Palaeontologiam docebit P. HARTING, hora postea indicanda.

Exercitationibus zootomicis et *microscopicis* quotidie praeerit P. HARTING.

Elementa Matheseos, *Stereometriae* et *Trigonometriae Sphaericae* docebit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus Lunae, Martis, Veneris et Saturni, hora VIII.

Geometriam analyticam et *descriptivam* exponet C. H. D. BUYS BALLOT, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora IX.

Algebram superiorem et *calculum differentialem* docebit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus Mercurii et Saturni, hora IX, diebus Iovis et Veneris, hora X.

Elementa Matheseos docebit M. HOEK, diebus Lunae et Saturni hora IX, diebus Mercurii et Iovis, hora VIII; post ferias hiemales bis per dierum hebdomadem.

Astronomiam popularem exponet M. HOEK, die Lunae, hora X, die Iovis, hora IX.

Astronomiam theoreticam tradet M. HOEK, diebus Martis et Mercurii, hora IX.

Astronomiam practicam tradet M. HOEK, die Veneris, hora XII et I.

Artis observandi exercitiis quotidie praeerit M. HOEK.

Botanicam generalem docebit F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Mercurii, hora X, die Martis, hora XI.

Physiologiam plantarum tradet F. A. G. MIQUEL, die Iovis, hora X.

Plantarum officinalium et *venenatarum historiam* exponet F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Martis, hora III.

Oeconomiam ruralem docebit F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Martis, hora dein indicanda

Geologiam et *Mineralogiae elementa* tradet F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Mercurii, hora II.

Chemiae experimentalis et *theoreticae* partem, quae a Chemiae Professore non traditur, docere paratus est I. W. GUNNING. Chemiae Lector.

Hygienae publicae capita selecta tractabit I. W. GUNNING, hora pomeridiana auditoribus commoda.

I. H. HISGEN, Literarum Germanicarum Lector, diebus et horis postea indicandis, e *Literis Germanicis* tum Goethii tragoediam, quae *Faust* inscribitur, tum etiam aliorum scriptorum selecta carmina interpretabitur; *Literarum Germanicarum historiam*, imprimis inde a saeculo XVIII, exponet.

I. VENNING, Literarum Anglicarum Lector, *Literas Anglicas* docebit, hora auditoribus commoda.

M. A. E. ROBERTI, Literarum Francicarum Lector, *praecipuorum scriptorum saeculi XVII selecta opera* enarrabit, et *Literarm Francicarum historiam* saeculorum XVII et XVIII tractabit, diebus et horis auditoribus commodis.

Bibliotheca Academica diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, ab hora XI ad IV, feriarum autem tempore iisdem diebus, ab hora I ad III, unicuique patebit. Museum zoologicum et mineralogicum quotidie patebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

DIE XXXI M. DECEMBRIS A. CIƆIƆCCCLXIV.

In Facultate	Theol.	....	186.
〃	〃 Iurid.	....	196.
〃	〃 Lit.	....	15.
〃	〃 Med.	....	58.
〃	〃 Math. et Phys.	....	24.
			479.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo tantum consilio ut hic publice progressus probent et Doctores creentur, quorum,

In Facultate	Theol.	....	3.
〃	〃 Iurid.	....	22.
〃	〃 Lit.	....	2.
〃	〃 Med.	....	3.
〃	〃 Math. et Phys.	....	1.
			31.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

A DIE XVIII M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXIV AD D. XXVIII M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXV.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 24 Iunii. IANUS RIET, Rheno-Traiectinus, publice defenso specimine, cui titulus: *De leer van Jezus aangaande de ΖΩΗ ΑΙΩΝΙΟΣ, volgens de vier Evangeliën*, Theol. Doctor, *magna cum laude*.

D. 2 Februarii. GUILIELMUS CHRISTIANUS VAN MANEN, ex pago Noordeloos, publice defenso specimine, cui titulus: *Onderzoek naar de echtheid van Paulus eersten Brief aan de Thessalonicensen*, Theol. Doctor, *magna cum laude*.

D. 21 Martii. GUILIELMUS FREDERICUS CASPARUS IOANNES VAN HEEL, Haganus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Campegius Vitringa, Sr. als godgeleerde beschouwd*, Theol. Doctor, *cum laude*.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. 21 Aprillis. LUDOVICUS HENRICUS EDUARDUS CROES, Rheno-Traiectinus, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 4 Maii. PETRUS VER LOREN, e pago Dalfsen, publice defenso specimine, cui titulus: *De verhouding van den Staat tot het Bankwezen*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 11 Maii. IOHANNES APOLLONIUS ALTING BÖSKEN, e pago Werkendam, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over geldleeningen hier te*

lande door vreemde Mogendheden aangegaan, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 14 Maii. LUDOVICUS HENRICUS POVEL, Amstelodamensis, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 26 Maii. EDMUNDUS GUILIELMUS FERDINANDUS WTTEWAALL VAN STOETWEGEN, Campensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Over de Mogendheden van den zoogenaamden tweeden en derden rang*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 13 Iunii. RUDOLPHUS GEORGIUS PHILIPSON, Zwollanus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over den volkenregtelijken regel "schip is territoir,"* Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 14 Iunii. FREDERICUS OOSTER, Amstelodamensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over de werkinrigtingen voor armen in Nederland*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 23 Iunii. STEWART IEHN. DU TOUR VAN BELLINCHAVE, Leovardiensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Het constitutioneel koningschap*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 25 Iunii. DANIEL DE BLOCQ VAN SCHELTINGA, e pago Oranjewoud, privatim defenso specimine, cui titulus: *Verband tusschen het burgerlijk en het handels-regt*, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 30 Iunii. ARNOLDUS GREEBE, e pago Schoonrewoerd, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over verbindtenis met tijdsbepaling*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 1 Iulii. GUILIELMUS CORNELIUS IOANNES ALPHERTS, Culemborgensis, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IANUS HENRICUS POST, e pago Eck-en-Wiel, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 2 Iulii. ADRIANUS IACOBUS SANDBERG, Zwollanus, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 13 Octobris. BONIFACIUS FRANCISCUS GUILIELMUS VAN BRUCKEN FOCK, Medioburgensis, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 24 Octobris. GEORGIUS HENRICUS LOWE, Amstelodamensis, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 4 Novembris. CAROLUS GUILIELMUS FRANCISCUS BAKE, Samaranga-Indus, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 7 Novembris. LUDOVICUS IANUS GODEFROY, Indo-Batavus, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur Rom. et Hod. Doctor.

D. 21 Novembris. EDMUNDUS COLLOT D'ESCURY, Lugduno-Batavus, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 30 Novembris. IOANNES DANIEL CORNELIUS CAROLUS GUILIELMUS DE MOL, Harderovicensis, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 24 Februarii. GUILIELMUS BINGER, Amstelodamensis, publice defenso specimine, cui titulus: *De commanditaire Vennootschap zonder aandeelen*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 27 Februarii. PAULUS HENRICUS GUYE, Mosa-Traiectinus, privatim defensis quaestionibus Iuridicis, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 8 Martii. FREDERICUS HENRICUS DE PESTERS, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *De voorzitter der Staten-Generaal*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 16 Martii. IOANNES HENRICUS MELLO MOLLERUS, e pago Oldenbroek, publice defenso specimine cui titulus: *Geschiedkundig overzicht van het handelstelsel in Nederlandsch-Indië*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. 8 Octobris. CATHARINUS GUILIELMUS MIDDELAND MONTIJN, ex urbe Sas van Gend, privatim defenso specimine exhibente: *Quaestiones et explicationes Platonicas*, Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor, *cum laude.*

D. 10 Ianuarii. BERNHARDUS GUILIELMUS HOFFMANN, e pago Uithuizen, privatim defenso specimine: *De M. Licinio Crasso*, Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor, *cum laude.*

D. 15 Februarii. MAURITIUS VAN LIER, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine: *De inscriptionibus Salpensana et Malacitana*, Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor, *cum laude*.

IN FACULTATE MEDICA.

D. 22 Aprillis. DANIEL DE BRUYN, e pago Vreeland, Medicinae Doctor, defensis quaestionibus argumenti Obstetricii, praestito Iureiur., Artis Obstetriciae Doctor.

D. 14 Maii. GUALTERUS CORNELIUS VAN LOCKHORST, ex urbe Monte in Hannovria, Medicinae Doctor, defensis quaestionibus argumenti Obstetricii, praestito Iureiur., Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

D. 1 Iunii. IANUS VROESOM DE HAAN, Roterodamensis, Medicinae et Artis Obstetriciae Doctor, defensis quaestionibus argumenti Chirurgici, praestito Iureiur., Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

D. 11 Iunii. IANUS SCHERPENHUYSEN, Roterodamensis, Medicinae et Artis Obstetriciae Doctor, defensis quaestionibus argumenti Chirurgici, praestito Iureiur., Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

D. 21 Iunii. GEORGIUS PHILIPPUS ERICIUS WEDEKIND, e pago Voorst, Medicinae Doctor, defensis quaestionibus argumenti Obstetricii, praestito Iureiur., Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

D. 25 Iunii. CORNELIUS MAATS, e pago Zijpe, Medicinae Doctor, defensis quaestionibus argumenti Obstetricii, praestito Iureiur., Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

D. 2 Iulii. GERARDUS HEYNIS, e pago Boskoop, privatim defenso specimine, cui titulus: *Historisch-kritische beschouwing van de transfusio sanguinis*, praestito Iureiur., Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

Eodem die. IOANNES IACOMINUS CORNELIUS VAN WOERDEN, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Bijdrage tot de kennis der uitwendige zigtbare vaten van het oog in gezonden en zieken toestand*, praestito Iureiur., Medicinae Doctor, *cum laude*.

Eodem die. HENRICUS BARTHOLOMAEUS IACOBUS KOK, C. fil., Amisfurtensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over kunstmatige vroeg-*

geboorte, voornamelijk volgens de methode van Cohen, praestito Iureiur., Medicinae Doctor, *cum laude.*

D. 18 Octobris. ARENTIUS VAN AMEYDEN VAN DUIM, Roterodamensis, Medicinae Doctor, defensis quaestionibus argumenti Chirurgici, praestito Iureiur., Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

D. 17 Novembris. THEODORUS DENTZ, Amstelodamensis, publice defenso specimine, cui titulus: *De melkbreuk der borstklier*, praestito Iureiur., Medicinae Doctor, *cum laude.*

D. 3 Decembris. HENRICUS BARTHOLOMAEUS KOK, C. fil. Amisfurtensis, Medicinae Doctor, defensis quaestionibus argumenti Obstetricii, praestito Iureiur., Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

D. 22 Decembris. GUILIELMUS FREDERICUS VOS, e pago Breukelen, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over podophylline*, praestito Iureiur., Medicinae Doctor.

Eodem die. HENRICUS BALTHAZAR KAUFMAN, Roterodamensis, Medicinae Doctor, defensis quaestionibus argumenti Obstetricii, praestito Iureiur., Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

D. 11 Martii. ARENTIUS VAN AMEYDEN VAN DUIM, Roterodamensis, Medicinae et Chirurgiae Doctor, defensis Quaestionibus argumenti Obstetricii, praestito Iureiur., Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE MATHEMATICA ET PHYSICA.

D. 8 Aprillis. ADRIANUS DANIEL VAN RIEMSDIJK, Mosa-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *De scheikundige werking der warmte op anorganische verbindingen*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude.*

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

INDE A D. XIII OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXIV AD D. XII OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXV

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

GERHARDUS DIEPHUIS.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

BERNARDUS IANUS GRATAMA.

IN FACULTATE IURIDICA.

I. H. PHILIPSE.
B. I. GRATAMA.
G. DIEPHUIS.
B. D. H. TELLEGEN.

IN FACULTATE MEDICA.

I. BAART DE LA FAILLE.
F. Z. ERMERINS.
I. H. IANSEN.
I. VAN DEEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
I. G. ERMERINS.
N. MULDER.
G. A. ENSCHEDÉ.
P. I. VAN KERCKHOFF.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU.
G. MUURLING.
E. I. DIEST LORGION.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. I. P. VALETON.
G. HECKER.
C. M. FRANCKEN.
B. H. C. K. VAN DER WIJCK.
H. E. MOLTZER (munus suum auspicatus est d. 30 m. Martii 1865).

ORATIO

QUA

ACADEMIAE PER HUNC ANNUM FATA BREVITER ENARRAVIT

GERHARDUS DIEPHUIS,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET IUR. UTR. DOCT.
IUR. PROF. ORD.

DIE XII OCTOBRIS CIↃIↃCCCLXV,

QUUM RECTORIS MAGNIFICI MUNUS DEPONERET.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, ET QUI HIS AB ACTIS ES, VIRI AMPLISSIMI!

PROFESSORES, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

CIVES ACADEMIAE, IUVENES ORNATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE AD HAEC SOLEMNIA NOSTRA CELEBRANDA HUC CONVENISTIS, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Natalem Academiae diem quotannis solemni ritu celebramus. Quae consuetudo procul dubio omnium consensu gaudet. Non tamen idcirco eodem omnium consensu laudantur omnia quae huc spectant. Hoc certe equidem non laudaverim, quod ei, qui ex officio de hoc loco verba faciet, certa, non sua sed aliena, lingua indicata sit, qua utatur, quod oratori, etiamsi invito, coram auditoribus, plerisque invitis, latino sermone habenda sit oratio.

Sic autem lex ipsa iubet, Rectorem Magnificum munus, quo defungitur, successori traditurum esse habita solenni oratione latina. „Est haec non nata sed scripta lex; quam non ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, verum didicimus, accepimus, legimus; ad quam non facti sed docti, non imbuti sed instituti sumus." Redolet illa tempus, quo communis simul et propria eruditorum erat, ideoque huic loco vere idonea censeri poterat, veterum illa Romanorum lingua, nunc magnam partem antiquata, doctrinae nec certum indicium, nec necessaria conditio; cuius, quum ipsam magni faciunt et semper colendam sustinent, usus tamen in dicendo multis et indies pluribus displicet, quid peregrinam prae nostra, antiquam prae hodierna commendare queat, non perspicientibus.

Quamobrem sunt, qui ante me Rectoris munere defungentes, Academiae fata, quae in oratione enarrare disertis verbis lex iubet, latine retulerint, deinde quae insuper, lege non cogente, dicenda habebant, patrio sermone elocuti sint. Ita et legi satisfacere posse et hodiernae sententiae se accom-

modare sibi videbantur. Quod si aliis displicet, temporis genio cedere indignum censentibus, mihi quidem — ingenue fateor — non liquet, quare quae maioribus iure placuerunt, nobis eodem iure nondum placent, tamen nobis servanda sint, et quare indulgere genio superioris aetatis oporteat, nostrae non liceat.

Itaque illorum aestumatissimorum virorum exemplum secutus, primum, quae solennis hic dies postulat, latine tractabo, deinde Rectore novo concedente, patria lingua usus, quae de alia re addere iuvabat, brevi sermone traditurus. Vos me dicentem benevole audiatis.

Post festum splendide celebratum, communis omnium amoris et observantiae egregium testimonium et perpetuum, alteram seculi tertii partem inchoavit Academia nostra. Annum laete et bonis auspiciis inceptum feliciter et cum fructu peregit.

Curatorum collegium salvum et immutatum adest. Itaque solita illorum cura frui licuit Academiae. Et diu liceat V. V. A. A., quibus, etsi gravissimis suo quisque loco officiis et ornatis et occupatis, quantopere Academia nostra cordi sit, nota et indubitata res est.

Quod ad Professorum ordinem attinet, cathedram, post clarissimi Ionckbloet discessum, ineunte anno vacuam dudum obtinet, qui viro meritissimo ab Augustissimo Rege successor datus est. Te, clar. Moltzer, acceptissimum collegam salutavimus. Diu nobis et Academiae sospes sis; munere digne suscepto diu fungaris, in studiosorum salutem et litterarum incrementum.

Clar. Francken alia sibi socium adscivit Academia, nec tamen nostrae subripuit, cui diu salvus maneat et incolumis.

Clar. Muurling hoc anno quintum inter nos absolvit lustrum. Plura absolvat, et quamdiu per legem licet ex ipsius institutione fructus percipiantur uberrimi.

Clar. Baart de la Faille, per triginta tres fere annos Medicinae Professor, hoc anno rude donatus est. Septuagenarium lex ipsa de provincia revocavit, quam per tot annorum spatium dignissime obtinuit. Quod si tibi gratulor, vir aestumatissime, id potissimum gratulor, quod aetas, quae tibi otium paravit, tamen otiosum esse non cogat, quodque munere, quo iam defunctus es, etiamnum, quantum res poscit, fungi queas, imo fun-

garis. De vivi meritis hoc loco referre non decet. Igitur tua diu praeconem maneant. Diu otio cum dignitate fruaris, collega collegis coniunctissimus, et post vitam laboriosam felicissima tibi contingat senectus.

Successorem, clar. viro dignum, exspectamus. Imo successores. Sic enim sperari posse videtur, fore ut in unius locum duos nobis concedat Rex Augustissimus. Quod felix faustumque sit Academiae nostrae.

Neminem collegio nostro morte abreptum esse, valde laetamur. Utinam nemo nostrum lugeret, aut carissimam uxorem, per tot annos omnis vitae consortem fidelissimam, aut filiam amatissimam, aut — sed quae ad Academiam spectant hic monenda sunt, de iis quae domi aut laeta aut tristia nobis acciderunt, taceam.

Vobis, ornatissimi iuvenes, Academiae cives, unum subtraxit mors, quae, uti aequo pede pauperum tabernas pulsat regumque turres, ita vestrae quoque adolescentium aetati parcere non curat. Parentibus, vobis, nobis, patriae subreptus est Wibrandus Gerardus Reddingius, theologiae operam daturus. Quem dum lugemus, simul tamen est quo laetemur, per totius anni spatium hunc unum lugendum esse; idque eo magis, quum alterum iuvenem, iam virum doctissimum, de cuius vita aliquamdiu vix sperari posse videbatur, amantibus et amicis redditum grati recordemur.

Festo Academico post parvum intervallum successit alterum, societatis vestrae festum semiseculare. Cui rite et laete celebrando vobiscum convenerunt viri variae aetatis variique ordinis, collegii cui olim adscripti erant semper memores, neque defuerunt nostri Senatus delegati. Diu cum Academia floreat Vindicat atque Polit; cum alma matre non senescente filia semper iuvenilis, quae matre carere non potest, qua mater nunquam careat.

Festa laetis adcensemus. Sed nisi alia adsint, vix est quo laetemur. Plus valent studia vestra et studiorum fructus. Itaque laetus recordor, in disquisitionibus complures vestrum aut laude aut summa laude dignos iudicatos esse. Imprimis autem hic memorare iuvat, qui alibi Academiae nostrae egregie sustinuerunt honorem et sibi acquisiverunt, ornatissimos iuvenes Ianum Fresemann Viëtor, Iuris utriusque tunc candidatum nunc doctorem, Amstelodami praemio aureo ornatum; Didericum Huisinga, Medicinae candidatum, qui ibidem aureum praemium non reportavit, sed

meruisse declaratus est; Witium de Savornin Lohman, Iuris Romani candidatum, Ultraiecti honorifico testimonio honoratum. Quibus omnibus acceptos honores gratulor.

Studiosorum numerus idem fere mansit; nec crevit, nec decrevit. Utinam cresceret! Interea vos pauci pro multis laboretis, iuvenes oratissimi; minorem numerum maiore discendi studio et assiduitate compensetis.

A personis transeamus ad res.

Bibliotheca Academica hoc quoque anno aucta est, uti quotannis augetur. Sed alius ex liberali causa accessit incrementum, laete grateque memorandum. Ii enim, qui ad celebrandum festum Academicum, superiore anno ineunte, invitati huc convenerunt, viri amplissimi, clarissimi, doctissimi, iuvenes ornatissimi, ut suae erga hanc Academiam observantiae splendidum darent documentum et monumentum perpetuum, insignem miserunt pecuniae summam, qua coëmerentur libri, qui viderentur aptissimi. Itaque huic liberalitati debemus Sotheby, Principia typographica, London 1853, 3 vol., et Geschichte der Europäischen Staaten, herausgegeben von Heeren und Uckert, Hamburg-Gotha 1829—1863, 69 vol. Donatoribus gratam mentem significavit Senatus, equidem hoc loco palam gratias ago debitas. Novum aedificium, superiori anno exstructum et inauguratum, hoc postremo emendatum, nisi spem fallat eventus, proxime sequente idoneum erit bibliothecae receptaculum.

Reliqua studiorum adminicula bene conservata et, ut solent, aucta sunt.

Relatis, quae referenda videbantur, unum restat.

Virum clarissimum, in facultate medica Professorem ordinarium, Franciscum Zachariam Ermerins, a Rege Augustissimo designatum, Academiae Groninganae Rectorem Magnificum dico, renuntio, proclamo.

Salve, vir magnifice. Te Rectore vigeat, floreat Academia. Huic faveat Deus. Cui sit laus, honos, gloria!

Deinde patria lingua sermo habitus est: Over regt en wet en wetenschap.

DE NIEUWE RICHTING IN DE TAALKUNDE.

REDEVOERING

TER AANVAARDING VAN HET HOOGLEERAARSAMBT AAN DE HOOGE SCHOOL TE GRONINGEN,

DEN 30sten MAART 1865,

UITGESPROKEN

DOOR

H. E. MOLTZER.

EDELGROOTACHTBARE HEEREN, CURATOREN VAN DEZE HOOGESCHOOL,

WELEDELGESTRENGE HEER, SECRETARIS VAN HET COLLEGIE VAN CURATOREN,

HOOGGELEERDE HEER RECTOR MAGNIFICUS, HOOGGELEERDE HEEREN PROFESSOREN, ZEER GEACHTE AMBTGENOOTEN,

EDELACHTBARE HEEREN, AAN WIE HET BESTUUR VAN DEZE STAD, OF DE HANDHAVING DES RECHTS IS TOEVERTROUWD,

WELEDELE ZEER GELEERDE HEEREN, DOCTOREN DER VERSCHILLENDE FACULTEITEN,

In Duitschland, waar het nog in het midden der 18de eeuw met de beoefening der verloskunde treurig gesteld was en een zekere Deisch en Mittelhäuser als afschuwwekkende voorbeelden eener ruwe, mensch onteerende kunst berucht zijn gebleven, werd eerst later een betere toestand ingevoerd, eerst door verbetering van het onderwijs van vroedvrouwen, daarna vooral ook door stichtingen van talrijke inrigtingen tot verloskundig onderwijs, waaraan geschikte personen verbonden werden, die hetgeen in het buitenland geleerd werd, in hun vaderland overbragten. Hierdoor verhief zich de Duitsche verloskunde aan het einde der 18de eeuw tot eene hoogte, die zij naauwelijks op eenig ander gebied der geneeskunde bereikt heeft. Als de eerste verloskundige van eenigen naam uit dit tijdvak verdient Lorenz Heister (1720—1758) genoemd te worden, maar het geheel nieuwe tijdperk voor de Duitsche verloskunde begint onbetwistbaar eerst met den beroemden Röderer (1726—1763), de eerste hoogleeraar in de verloskunde aan de hoogeschool te Göttingen in 1751, die ook de eerste leeraar der verloskunde in geheel Duitschland kan genoemd worden, daar het voor hem nog niemand vergund was in dit vak op zulk eene uitstekende wijze onderwijs te geven. Zijn invloed verspreide zich door zijn voortreffelijk leerboek, dat door vorm en inhoud alle vroegere werken van dien aard overtrof, over alle landen der beschaafde wereld. Door zijnen grooten leerling G. W. Stein (1737—1803) werd de verdere ontwikkeling der verloskunde nog aanmerkelijk bevorderd door het invoeren van het gebruik van meetwerktuigen, verbeterde operatie methoden en vooral juistere denkbeelden over het gebruik der tang. In Denemarken was de verloskunde in de 18de eeuw door von Buchwald (1697—1761?), Berger en Saxtorph (1740—1800), in Zweden door J. van Hoorn waardiglijk vertegenwoordigd en ook in Italië was de invloed onmiskenbaar, die de Fransche verloskunde op haren tijd had uitgeoefend. Over dit alles kunnen uitvoeriger worden

nagelezen: v. Siebold, *Versuch einer Geschichte d. Geburtsh.* II B. S. 292 seqq. *Geschichte der Forschungen über den Geburtsmechanismus von Stammler* etc. II B. 1 H. Giessen 1859. S. 65, 92, 113 seqq. *Leerboek van de Geschiedenis der Geneeskunde*, door Haeser, vrij bewerkt door A. H. Israëls. 1859. bl. 790. § 554 en bl. 791—797.

Aanmerk. XVI. Met Lucas Johann Boër was in het begin dezer eeuw het nieuwste tijdvak der verloskunde aangebroken, doordien de natuurwerkzaamheid bij de verrigting der baring in hare volle regten hersteld was. Deze groote man heeft zich door zijn onderwijs en zijne geschriften eenen onsterfelijken roem om de verloskunde als wetenschap verworven, en heeft door zijnen onvermoeiden ijver, waarmede hij gedurende 33 jaren zijn hoogleeraarsambt in Weenen bekleedde, die school tot de eerste in Duitschland verheven. De beginselen door Solayrès de Renhac in Frankrijk verkondigd, hadden bij zijn optreden reeds in Duitschland wortel geschoten, desniettemin had het technisch gedeelte der kunst door het aanzien van Levret, Smellie en hunne talrijke leerlingen nog voortdurend de bovenhand behouden. Door vele verloskundigen werd van de nieuwe werktuigen, voornamelijk de tang, zulk een ruim gebruik gemaakt, dat het in een waar misbruik ontaard was en het bijna scheen alsof de natuur van hare voortreffelijke verrigting der baring had afstand gedaan, om haar aan de tang der vroedmeesters over te laten. In krachtige bewoordingen schilderde Boër het onnatuurlijke en berispelijke eener zoodanige handelwijze en trachte vol geestdrift voor zijne beginselen te bewijzen, hoe vele onuitputtelijke middelen de natuur bij het werktuigelijk beloop der baring aanbiedt, hoe zij over de grootste hinderpalen weet te zegevieren, om haar doel te bereiken en hoe betrekkelijk zeldzaam zij in het algemeen de hulp der kunst behoeft. Dat zulke eenvoudige beginselen, die op eene getrouwe waarneming der natuur gegrondvest waren, eerst langzaam ingang vinden konden, bewees onder anderen de school van zijnen tijdgenoot F. B. Osiander (1759—1822) in Göttingen, die, geheel in strijd met Boër, de operatieve rigting bij uitnemendheid was toegedaan en van kunsthulp bij de verrigting der baring bijkans alles meende te moeten verwachten. Het goede zaad echter eens door Boër gestrooid, begon meer en meer te ontkiemen, zijne leer verkreeg de bovenhand, en de uitstekendsten onder de verloskundigen in Duitschland, die in het begin van dit tijdperk door hunne leer en door hun voorbeeld wezentlijk medegewerkt hebben tot de verdere ontwikkeling der verloskunde waren Wigand te Hamburg (1769—1817) en Schmitt te Weenen (1760—1827), waarvan de eerste steeds met het oog op de innige verbinding der verloskunde met de overige takken der geneeskunde en op de hooge humane beteekenis van het vak eene meer dynamische school trachte te stichten, die op eene rationele geneeskundige basis de verloskunde gelijktijdig als wetenschap en kunst moest beoefenen, en de laatste op de uitmuntendste wijze geheel in den geest van Boër bleef arbeiden.

Vergelijk hierover verder H. F. Naegele, *die Lehre v. Mechanismus der Geburt nebst Beiträge zur Geschichte derselben*. Mainz 1838. S. 182; von Siebold, *Versuch einer Geschichte*. II B. S. 596; Haeser, *Leerb. d. Geschied.* p. 874.

Aanmerk. XVII. De ovologie en embryologie die in zulk een naauw verband met de zwangerschap staan hebben door de ijverige studiën van von Baer, Bisschoff, Burdach, J. Muller, Purkinje. Seiler, Valentin, Wagner, Keber, Nieuwpoort, Reichert, Ecker, Erdl, Coste, Rathke, Remak, Kölliker en anderen in de latere jaren belangrijke wijzigingen ondergaan, die meerendeels door de verloskundigen van den nieuweren tijd, zoo als Kiwisch von Rotterau, Hohl, von Scanzoni, Braun, Späth, Chiari, Seyffert, Lambl, Eichstedt, Grenser, Spiegelberg, Hecker enz. in hunne voortreffelijke handboeken of geschriften zijn opgenomen. Eenen ofschoon minder hoogen trap van bloei had de verloskunde reeds in de eerste helft dezer eeuw in Frankrijk, Engeland en de overige staten van Europa, ook zelfs in Noord-Amerika bereikt. Groot is althans ook daar overal het getal van beroemde mannen, die door hunne degelijke werken hebben getoond, welk een ruime werkkring den tegenwoordigen beoefenaar der kunst is aangewezen, maar ook welke kennis van hem moet worden geëischt.

Aanmerk. XVIII. Wat de Bibliographie van verloskundige onderwerpen in ons land betreft, die tot het nieuwste tijdvak betrekking hebben, moet voornamelijk naar de vele tijdschriften verwezen worden, waarin de belangrijkste stukken zijn opgenomen, en waaruit blijken kan, dat onze vaderlandsche beoefenaars nog voortdurend met vollen ijver aan de verdere volmaking der wetenschap blijven arbeiden.

ATHENAEUM

DAVENTRIENSE.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS

QUI

A. D. XVI FEBR. CIƆIƆCCCLXIV A. D. XVI FEBR. CIƆIƆCCCLXV

DOCENDI MUNUS OBIERUNT

IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI.

I. VAN VLOTEN, Litt. Belg. et Hist. Patriae Prof., h. t. Rect. Magn.
P. BOSSCHA, Litt. Antiq. Prof. honorarius.
I. DUYMAER VAN TWIST, Iur. Prof.
V. S. M. VAN DER WILLIGEN, Mathes. et Phys. Prof.
L. MULDER, Botan., Geol. et Oecon. ruralis Prof.
E. I. KIEHL, Litt. Antiq. Prof.
I. I. METZLAR, Litt. Orient. et Antiq. Hebr. Prof. extraord.
M. I. COP, Math. Mag. Phil. Nat. Doct.

S. SUSAN, Litt. Hod. Lector.

ORATIO

DE

DAVENTRIA,

VEL

INVITIS TEMPORIBUS BONARUM ARTIUM LIBERALISSIMA FAUTRICE,

QUAM PUBLICE HABUIT

ANNE IOHAN VITRINGA,

A. D. V. KAL. MAIAS, A. CIƆIƆCCCLXV,

QUUM ORDINARIAM LITERARUM GRAECARUM, ROMANARUM ET HISTORIAE PROFESSIONEM IN ILLUSTRI DAVENTRIENSIUM ATHENAEO AUSPICARETUR.

CONSULES SENATORESQUE HUIUS REIPUBLICAE DAVENTRIENSIS, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,

HUIUS ILLUSTRIS ATHENAEI CURATORES, VIRI GRAVISSIMI, MAECENATES OPTIME DE ME MERITI,

QUI UTRIUSQUE AMPLISSIMI ORDINIS AB-ACTIS ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI,

RECTOR MAGNIFICE ET PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI,

LECTOR, VIR PERITISSIME,

SCHOLARUM MULTIPLICI MUSARUM CULTUI DESTINATARUM PRAECEPTORES, VIRI DOCTISSIMI, MERITISSIMI,

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES, VIRI PLURIMUM VENERANDI,

QUARUMVIS ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI,

IUVENES, LITERARUM STUDIIS DICATI ET IN SPEM PATRIAE SUCCRESCENTES, LECTISSIMI,

CIVES DENIQUE ET HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO HONORANDI,

AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Si quis res humanas rite perpenderit, nil erit quod miretur, hodie summis laudibus circumferri, quae paulo ante despicerentur, contra quae parentibus eximie placuissent, interdum ab ipsorum liberis ne respici quidem. Sunt enim sui fere quibusque aetatibus mores, instituta, sentiendi cogitandique rationes. Fuit tempus, quo maiores nostri omni, qua possent, ratione liberalium artium studia promovere. His artibus teneros puerorum animos informare, ad has adolescentium animos incendere conabantur. Nil prius, nil sanctius habebant. Putabant enim antiquitatis Graecae Romanaeque monumenta typos quosdam referre, quibus recentiorum inventa et cogitata quodammodo continerentur. Perspectum habebant nullum fere a philosophis placitum proferri, quin, ut ita dicam, eius semen in antiquitate reconditum iaceret; nullum fidicinem aliquid spirare aut placere posse,

nisi a Graecorum Latinorumque Musis ardore quodam divino instinctum; quae in foro inque senatu nostro elegantius acutiusque proferrentur, fere a Rostris Curiaque desumta esse; si qui rerum actarum enarrandarum facultate pollerent, eos pollere propterea, quod animos antiquis illis historicis legendis imbuissent. Exspectabant fore ut patria nostra ita demum tamquam lumen orbis exstaret, si iuventus his disciplinis erudita forum, curiam occuparet, si hac doctrina informati Dei amorem de sancto suggestu concionantes in piis animis foverent, misere aegrotantes curarent, reis patrocinarentur, reipublicae consulerent. Nec, quibus ipsis dulce literis impendere otium non concessum fuerat, eos umquam amplissima dona et munera ad Musarum cultum sustinendum profundere pertaesum est. Hinc summos belli duces, quos continuo fere armorum strepitu obtusos diceres, munificentissimos tamen artium doctrinarumque fautores conspicimus. Nonne vos subit, AA. HH. recordatio principum illorum Arausiacorum, quorum primus primae in patria nostra universitatis conditor, quintus quinque academiarum rectoris magnificentissimi titulo ornatus, acerrimus patronus Palladis, inter quinque sorores maxime fortunae bonis destitutae et quam vires iam deficere coeperant, Gelro-Zutphaniae? At ne forte minus miremini summis in civitate viris placuisse, ut Maecenates audirent, convertite, quaeso, animum ad mercatores illos Amstelodamenses sordidis, vulgo aiunt, quaestus negotiis obrutos: quo erga Musas hi animo affecti erant! Quid vero, manes Vossiorum, Burmannorum, Wyttenbachiorum vel ex inferis surgent, si quis illos sordidi lucri studii accuset! — Quantopere sibi placebant, post paracta basilicae forique negotia, in aedes Musarum cultui destinatas convenire, ibique dulcissimo literarum otio indulgere, in quibus principem fere locum tenet ac per totum orbem terrarum inclaruit id sodalicium, quod de Musis bene meritos felices praedicat. Quam avide quas interdiu divitias Mercurius attulerat, earum partem vespere ad Musarum mysteria agenda impendebant! Quam nulla fere inter splendidissimas illas domus erat, quarum longis ordinibus margines Amsteli canaliumque ex eo ductorum adhuc nitent, quin museum, pretiosissimus librorum thesaurus, intus latitaret. Ubi vero privati, quorum vitae rationem a literarum studio vel maxime alienam dixeris, nihil supra Musarum ministerium et consuetudinem ponebant, num civitates ipsas segnius artibus favisse existime-

tis? — Multum sane abest. Ut hoc unum testimonium proferam, quis ignorat nobile illud inter provincias patriae nostrae certamen, ut singulis singulae academiae essent? Quis nescit, clarissimos praeceptores interdum ex Gallia Germaniaque arcessitos esse, quibus doctrinae laudem sibi invicem praeriperent? Quem fugit, inter tot illustres scholas nonnullas certe desertas fuisse, nisi ingens peregrinorum numerus, Germanorum atque Britannorum, continue Batavorum doctrinae sedes celebrasset, quippe quas totus terrarum orbis in ore haberet? Et has fovebant principes, curabant magistratus, quia privati communis amoris pignora custodiebant. Exstat vetus memoria, in hac nostra urbe aliquando nonnullos cives, quibus res lautior esset, singulos domi suae vel septenos interdum studiosos excepisse, quos sine ulla remuneratione alerent, filiorum familias instar curarent. Aderant hospitia, quibus alumni minimis pretiis habebantur, erant etiam alia publicis provinciae sumtibus exstructa ac sustentata, quibus Musarum filiis tectum victusque gratis suppeditabatur. Communis igitur ordinum omnium consensus eo tempore liberalioribus artibus et doctrinis favebat; omnes adolescentes ut ad has se converterent excitabat. Nec, mehercle, patres nostri frustra tantum in hanc rem operae contulerunt: nam si quis umquam deus religiose pieque colentes splendide remuneratus est, Musae profecto gratas se erga proavos nostros praestiterunt: in nulla umquam Europae gente tot egregii reipublicae moderatores et cuiusque generis viri clarissimi floruerunt, quorum sapientissimis consiliis et maxima celebritate patria apud cunctos gratia, opibus, dignitate vigebat.

At sensim, quibus rem romanam vitiis pessumdatam esse scribit Sallustius, avaritia et luxuria beatos illos Batavos invaserunt; luxuria, qua vix taetrius, vix perniciosius quidquam animo tibi fingere possis. Etenim ardens istud inanium delectamentorum, vitae domesticae elegantia plenae, aliarum rerum futilium studium quum mores corrumpit, tum miseros cives, pravo sane aemulationis genere, eo redigit, ut nil amplius curare possint, quam semet ipsos, ut quicquid ad verum bonum pulchrum promovendum impendatur, id suis deliciis, pravo isti victus cultusque splendori detractum existiment, ut ad luxuriosam illam vitam sustentandam, iure iniuria, aliquisquam plurimas sibi opes corradat. Ita sordida luxuriae proles est avaritia. Ambae autem coniunctae quoties civitates invaserunt, id efficere solent,

ut cives, nil nisi lucrum, sensuum titillationes persequentes, quod verum atque decens parum curent, imo magis seria vitae studia prorsus despiciant.

Quid mirum igitur, si splendidissima illa Musarum templa, communi quondam reipublicae privatorumque amore dilecta et ornata, sensim minore religione colerentur, mox neglecta dilaberentur, tandem fere deserta starent? Nemo non videbat, quin, ubi auditoria septem gymnasiorum undique affluentem discipulorum numerum vix continuissent, tres duaeve academiae satis superque sufficerent ad instituendos, si qui elegantioribus disciplinis erudiri vellent.

Ita Musarum cultus saeculi proxime antecedentis finem versus languescebat, quum taeterrima illa Napoleonis tyrannis id decreto sanxit, quod perditi civium mores iam diu paraverant: septem Palladiis Batavorum duobus modo pepercit, caetera aut sustulit aut ita fregit, ut pristini floris ac vigoris vix umbra superesset. Scilicet crudelis ille mortem pestemque spirans tyrannus liberalis atque munificus esse maluit erga mareschalcos suos quam erga professores; magis in deliciis habuit adolescentes, qui Martis quam qui Minervae castra sequerentur.

At mox, eheu, patuit, id, cuius tyrannum solum accusaverant multi, non eius, sed omnino communi civium ingenio factum esse, patuit, inquam, Napoleonem illum, ut multis aliis in rebus, ita in literis, quae dicuntur, classicis despiciendis, divino quodam numine instinctum fuisse, ut violenta manu ea dilaceraret, quae communis hominum cogitandi sentiendique ratio atque immutati mores dirutum iri iam diu portendissent, sed prae pudore ipsa extinguere non ausa fuissent. Nam quum beneficentissimus rex Guilielmus primus, egregius artium doctrinarumque fautor atque patronus, vulnera, quae Franciae crudelissimus fecerat dominus, sanare sibi sanctum haberet, inque pristinum honorem restituere conaretur Pallades Ultraiectinas, Harderovicenses, Frisiorum, atque scholae Amstelodamensi eique, quae Transisalanorum Athenis est, prisca iura, quantum id fieri poterat, redderet, mox nimis, eheu, patefactum est, homines non tyranni nutu, sed inversis moribus a sancto Musarum ministerio avocatos fuisse. Athenaea enim Gelrorum atque Frisiorum ita tabuerunt, ut adversus temporum invidiam ea non amplius tueri liceret. Amstelodamenses vero et

Daventrienses suo ipsorum periculo avorum erga bonas artes pietatis monumenta colebant. Et trium de multis reliquarum academiarum si discipulorum numerus computaretur, fortasse non superaret eos, qui antea in una schola humanioribus artibus operam navabant.

Ita elegantiora studia per hos fere quinquaginta annos ex alto, quo antea colebantur, honoris fastigio depulsa sunt. At vero, quum natura pecora prona atque ventri obedientia finxerit, hominem autem talem, ut divina quaedam vis animo eius sit insita, qua continue ad maiora agenda incitetur, haec sponte cogitatio mentem nostram subit, ad quaenam studia, nobilissimis illis relictis, ingenium humanum se tandem converterit? — Et reapse quidem patet, animi impetum fere ad ea cogitanda atque investiganda ferri, quae perspexisse et cognita habuisse maxime sua interest. Hinc Graecos homines, otio abundantes, philosophiae deditos videmus; Romani, pro practica, quae dicitur, eorum indole, nil potius habebant iuris studio; medio aevo, post literas renatas, hae ipsae literae omnium ad se oculos convertebant, tum cura rerum divinarum omnium animos diu occupavit. At patres nostri, patriae amore flagrantes, quum viderent, Batavos neque armis, nec latis imperii finibus, nec lingua sua, quippe a paucis intellecta, principatum inter Europae gentes vindicare posse, id studuerunt, ut mentis acumine, morum integritate, artium elegantia, liberalissimis institutis, quin adeo lingua ipsa, liberalis Romanorum respublica in Neerlandia renasceretur. Quid mirum igitur, quod, Romanorum quum virtutes, libertatis atque iustitiae amorem, integros mores, invictum animum exemplo sibi proposuissent, scripta, instituta, historiam avidissime perscrutabantur, ad haec penitus pernoscenda omnibus, quibus poterant, instrumentis, pueros incitabant? At quum infelicissimis nostris temporibus communis patriae amor apud plerosque cesserit amori sui, vera virtus habeatur post amplos honores, morum integritas post luxuriosissimae vitae delicias, Curii Fabricii Reguli post Tiberios Caligulas Nerones, Romani post Franco-Gallos, lucri studium tantum non omnium animorum curas ad eas convertit disciplinas, quae vulgo utiles audiunt, physicas, chemicas, mechanicas, staticas, oeconomicas, politicas, in quibus enumerandis si vocibus parum latine sonantibus utor, id profecto ipsarum a literis antiquorum longe remotae indoli facile concedi potest. At quo tandem iure

hae prae caeteris disciplinae utiles praedicantur? — Quasi vero minus sit utile, animos veri atque pulchri studio imbuisse, iis, inquam disciplinis, quas fideliter didicisse emollit mores nec sinit esse feros? —

Minime vero, clamitant: id demum utile est, quo vitae tibi commoda efficias, id verum, cuius pretium auro commutare possis, id bonum, quo quis facile sibi victum paret. Qui corpus bene alit, is meliorem sui partem curat, qui sibi suisque providet, is optime consulit reipublicae. Quomodo quis, amabo, maius reportabit lucrum simul et aliis proderit, quam eiusmodi officinis, fabricas dicunt, exstruendis, ubi ad communis vitae usum pertinentes res vilissimis pretiis elaborantur? Nonne sic et plurimi pauperes aluntur, et omnium saluti optime prospicitur? —

Videtis, AA., nec gloriationem abesse: non divites fieri student, sed cives alunt; infimam turbam, meretrices, fures, sicarios melius curantes, quam viduas, orbos et honestos, sed pudicos pauperes, id mimine faciunt ad suas ipsorum vitas, domus, opes tutandas neque ut ab omnibus consalutentur et altioribus tollantur honoribus, sed divino quodam generis humani amore ducti haec omnia agunt, et nisi *φιλανθρωποτάτους* eos appelles, mox graviter tibi succenseant.

Ne miremur igitur, paucissimos iam iis artibus studere, e quibus nullum extemplo lucrum redundat, quae animum potius quam corpus respiciunt, et pro exiguo discentium numero paucas quoque superesse scholas. Nam res huc fere rediit, ut, nisi res publica tres illas academias sustentaret ac tueretur, mox nulla fortasse firma stabilisque Musarum sedes relinqueretur. Qui privati, imo, quae civitas hodie ita deliraret, ut suis sumtibus universitatem conderet? — Multa sodalicia sunt ad vias ferratas sternendas, ad communibus sumtibus hanc illamve materiam elaborandam, ad canales ducendos, quin ad parvulos pueros puellasque custodiendos atque erudiendos. Quid vero censetis? Nonne societas omnibus risum moveret, quae id consilium profiteretur, ut adolescentes humanioribus artibus instituerentur? At longe aliter sentiebant veteres illi Batavi, qui in usum studiosae iuventutis integras testamento bibliothecas donarunt, cathedras ad hanc illamve disciplinam tradendam instituerunt, imo hanc nostram scholam illustrem fundaverunt. Informetis Vobis animo homines, quales fuerunt Teylerus ille Harlemi, Thysius Lugduni Batavorum, Twickelos

illa in hac alma Musarum sede, pudor obstat, quominus nomen, quo hodie a plerisque audirent, enuntiem.

Quum igitur res publica eo redacta sit, ut sola munus suscipiat Musarum adversus vulgi invidiam tuendarum atque alendarum, vix iure a quoquam vituperari possit, quod academiarum numerum ad has tres redegit. Multo magis officio humanitatis satis superque fecisse censenda est, si tantum bonis artibus favet, quantum per multorum obstrepentium voces licet.

Non possum autem, quin hoc loco id obtrectatorum genus notem, qui omnia callide ad utilitatem referentes, versuti sane, summa fallacia bonas artes oppugnantes, contendunt unam modo academiam publica auctoritate instituendam esse. Speciosis sane argumentis causam suam tuentur, fore scilicet ut nulla re magis genuina promoveatur doctrina, quam variis studiorum subsidiis, quae nunc pluribus locis diffusa sint, in unum collatis; ita demum fieri posse, ut praeceptorum ingenii acumen non amplius hebescat pluribus iisque nonnumquam diversis doctrinae generibus tradendis; singulis contra cuiusque disciplinae partibus singulos fore professores. Citant porro magnas illas apud Germanos academias, quarum una, si respicias docentium et discentium numerum, tres nostras fere superet. His fallacibus rationibus usi, multi hodie duas academias tollere student, quos non immerito vel acerrimos Musarum oppugnatores appellare ausim; multo hi sane magis cavendi quam rudes illi adversarii, quorum vox crudele pulchri veri bonique odium spirat. Hi contra honesta specie bonarum artium interitum parant, qua multos Musarum amantissimos in castra sua alliciunt.

At paulo accuratius, quaeso, consideremus, quid hoc sit, Musas ita in unum locum coercere ac relegare, quin ex hominum conspectu atque communi vitae usu tollere.

Liberaliorum artium studium si in cuiusdam certis finibus circumscriptae vel arcanae doctrinae praeceptis tradendis versaretur, quibus aliquis sibi viam muniret ad aliquod munus profitendum, nil profecto obstaret, quominus eiusmodi mysteriis in uno aliquo eoque vel remotissimo loco adolescentes initiarentur. At quicumque vel primoribus labris dulcedinem nostrarum disciplinarum gustaverit, quomodo tam iniquum ac perversum de iis iudicium ferat? — Quis est, quin extemplo agnoscat Musas non ita morosas

esse, ut invideant, quominus omnes humanitatis fructus percipiant? Profecto nihil mutatae sunt a liberali illo ingenio, quo, omnibus sui copiam facientes, universum Atheniensium populum ad altissimum humanitatis fastigium extulerunt. Ecquis igitur tam parum naturam earum noverit, ut hodie a populo eas arcere velit; his praesertim nostris temporibus, quae lubenter cultissima ac humanitatis plena audiunt. Num his, inquam, temporibus aliquis Musas recludere vélit, quasi medio aevo undique adeo barbarie obsessi teneremur, ut bonae artes anxie inter parietes monasteriorum cohibendae essent? Dii meliora! — Nisi quis forte ita statuat, literas graecas latinasque perinde usui fore ac linguas Sanscriticas Gothicas aliusve remotissimi et extincti populi, paucis igitur eiusmodi rerum antiquarum praeceptoribus futuris aut otiosis voluptatis causa addiscendas. Et sunt bene multi, qui ita sentiunt, clamantes adolescentium animos multo uberiores fructus percepturos esse e literis recentiorum Germanorum, Gallorum, Britannornm. At non perspiciunt summos harum literarum scriptores ita imbutos fuisse Graecorum Romanorumque divino fere genio, ut, quicquid scripserunt, non solum antiquitatem redoleat, sed magnam partem non nisi eius ope intelligi queat.

Certe non animadverterunt, singulas, quae in academiis traduntur disciplinas, theologiam, iuris prudentiam praesertim nullas esse, nisi ab antiquitate illustratas, ex hac omnem in quovis doctrinae genere scientiam quasi rivulo deduci, totam igitur institutionem academicam ex eius studio pendere. Nec mirum. Nam ea minime literarum humaniorum vis est, ut futuri theologi doceantur Novum Testamentum interpretari, aut iuris consulti ut Corpus Iuris rite intelligant, aut medici ut antiqua illa Hippocratis apophthegmata ediscant. Profecto nisi altius quid spectarent nostrae literae, librorum, quos dixi, versiones et paraphrases in linguam vernaculam satis superque studiosam iuventutem molesto sane tot lexica evolvendi, tot regulas grammaticas ediscendi, difficiles verborum constructiones enucleandi, veterum historiam, geographiam, mythologiam, antiquitates perscrutandi labore liberarent. Verum res longe aliter sese habet: non ideo antiquitatis studium per tot saecula ab omnibus fere viris doctis adolescentibus commendatum fuit, ut vocabula et praecepta quaedam addiscerent, sed ut mens informaretur ad recte cogitandum, animus ad recte sentiendum. Ut

pueri apud Graecos in gymnasiis variis sese exercitationibus dabant, non ut ad hos illosve corporis motus artificiose instituerentur, sed ut universum corpus corroboraretur ad omnes labores sustinendos, ita nulla hucusque res inventa est, qua mens melius acui possit ad cogitandum non de una quadam, sed de quavis materie, ad quam ingenii vires applicare lubet. Quodsi quis existimet, eundem fructum e disciplinis mathematicis perceptum iri, is admonendus videtur, hominem non magis natum esse ad verum perspiciendum quam ad pulchrum et bonum diiudicandum et ad agendum. Quod genus institutionis an disciplinae mathematicae praestare non possint, equidem dubito. Ac si quis contra contenderit, per literas recentiores non minus, quin multo magis quam per antiquas, veri pulchrique sensum excitari, vel sic tamen causam nostram facile tuebimur, arguentes illarum rationes grammaticas minime versari in iis difficultatibus, variis verborum flexionibus, iisque, quae intricatis, sed stabilibus legibus adstrictae sunt, structuris, quibus ipsis salutarem illam mentis exercitationem ad cogitandi facultatem excitandam contineri vidimus.

Quodsi haec est efficacitas rite instituti bonarum literarum studii, quis multiplicem earum usum denegabit nostra imprimis aetate, quae, omnem inanem verborum volubilitatem perosa, ad omnium rerum interiorem cognitionem penetrare amat, et, acutissima artis criticae subsidia adhibendo, unice, quid verum sit, summopere explorat? Si umquam, certe non hac aetate nostra ullum doctrinae genus a literarum antiquarum studio seiungendum est et, prorsus contra ac multi volunt, ad patrum nostrorum institutum redeundum, qui quum nullam sine his veri pervestigationem animo sibi fingere possent, ubicumque studiorum amorem suspicabantur, academias atque athenaea condere haud dubitaverunt.

Nec in prorsus diverso genere nostri homines aliam viam sequuntur. Quum unice fere attendant ad corporis commoda, (communem salutem vocant), eorumque sibi fundamenta disciplinas mathematicas et physicas invenisse videantur, harum studium minime in unum locum relegant, sed ubicumque earum cupidi iuveniuntur, quam liberalissime scholas, quas dicunt superiores civibus erudiendis, verius autem technicae inscriberentur, condunt.

Quid, estne eaquum, facultatem ad victus emolumenta procuranda para-

biliorem reddere, quam mentis animique institutionem ad verum pulchrum bonum investigandum?

Nullum est igitur praesidium quo Musarum adversarii confugiant, contendentes plures doctrinae sedes ferri propterea non posse, quod studiorum opes ac subsidia diffusa nullam amplius utilitatem praebent. Ne memorem salutarem illam inter varias provincias ac civitates patriae nostrae aemulationem, qua docti patronatus gloriam sibi vicissim praeriperent. Omittam naturam humanam ad omnia ita comparatam esse, ut aemulatione sublata optima quaeque studia mox tabescant atque inertia iaceant. At vero, quis umquam audivit, liberaliores artes tum magis viguisse, quum omnia studiorum subsidia, libri, praeceptores doctissimi, hospitia ad studiorum alumnos vel ex remotissimis regionibus excipiendos, collata essent Alexandriam et Pergamum, quam beatis illis temporibus, quum Musae in medio Graecorum populo sedem collocavissent, quum pauca ac fere nulla studiorum subsidia essent, sed singuli cives communi literarum et artium amore flagrarent? — Poterant Ptolemaei illi et Attali summa liberalitate et munificentia Musas in splendidissimis museis alere, non poterant resuscitare sanctum pulchri apud populos amorem nec nobile illud certamen ludorum musicorum, qui olim Olympiae et Delphis habebantur. Musarum cultus non regitur nutu tyrannorum, sed, ut ipsarum natura est popularis et humanitatis plenissima, ita e medio populo sese abstrudi non patiuntur. Nec fortasse multum a vero aberraverim, si statuam artes nostras non magis liberaliores audire, quod liberales efficiant homines, quam ideo, quod ipsae liberae esse velint.

En igitur duo quasi fontes, e quibus bonae artes florescunt et redundant, libertas, qua libere eo vagantur quo apta sibi domicilia inventurae videntur, tum communis civium amor, quo nobilis aemulatio ad eas, quoquo veniunt, suscipiendas colendasque exardescere solet.

Ubi vero hic evanuit, quod, eheu, vereor ne nimis nimisque apud nostros homines factum sit, omni sane laudis genere cumulanda est publica auctoritas, reges atque viri in republica primarii, quum ad faustiora tempora elegantiores literas tueantur nec a profano vulgo conviciis eas affici patiantur. Hoc fecerunt Ptolemaei, Medicei, monachi medio aevo, nec umquam ingratas sese praestiterunt Musae. Nam identidem post tenebras

nova lux exorta est, et in communem vitae usum redierunt Musae, ut mores emollirent, humanitatem reducerent, animos a rebus terrestribus ad coelestes revocarent.

Quae quum rerum humanarum decursus nos doceat, non est profecto, quod vel his in patria nostra a literis antiquis alienissimis temporibus desperemus quin honos, quo a patribus nostris habebantur, a posteris aliquando in integrum restituatur. Nam tempora mutantur, nos et mutamur in illis; sed quod vere pulchrum est et bonum (dicam divinum), licet aliquamdiu prae quaestus atque voluptatis studio respuatur, mox tamen, deo crediderim ita moderante, ius suum vindicat et intaminatis fulget honoribus.

Egregie igitur regem ac gubernatores huius reipublicae sanctis humanitati debitis officiis fungi censeo, qui non audiant eorum vocem, qui nimiam erga Musas liberalitatem querentes et ad utiliora scilicet pecunias publicas impendendas postulantes, unum solummodo Musis refugium relinquendum clamitant.

Quodsi sane laudandum est in sapientissimis illis viris, qui patriae nostrae communem salutem egregie moderantur, vix verba sufficient ad nobile illud consilium praedicandum, quo ab una urbe, eaque non amplissima, Daventriensium, Musis undique fere expulsis suum in antiquissima hac doctrinae sede perfugium ab interitu est servatum atque earum iura quam acerrime vindicantur. Quid magis regium, quid liberalius, quid munificentius? Et ut pravissimis temporibus paucorum egregii exempli virorum virtutes magis etiam eminent, ita, ni fallor, iam videor mihi videre exspectatissima ea tempora, quibus Musarum amantiores posteri, de nostra aetate aequum iudicium ferentes, Daventrienses illos, doctrinae patronos, artium Maecenates, veram humanissimorum patrum prolem ad sidera tollent.

Nam quominus ipse suscipiam partes laudatoris meritorum Vestrorum, duo sunt imprimis, quae me deterrent. Quorum alterum est, quod timeo, ne egregias vestras laudes deteram culpa ingenii; alterum, quod in simili materia tractanda duo tam excellentes ante me exstiterunt viri, quibus ego si tertium memet addam, quid audacius, quid impudentius excogitari possit? Fuerunt hi duumviri, numquam satis laudandi, alter Everwinus Wassenberghius [1]),

---

[1]) Ev. Wassenbergh, oratio de urbe Daventria, eruditionis in Belgio matre et conservatrice celeberrima. Dav. 1768.

alter Cornelius Fransenus Eckius [1]). Ecquis illo elegantius et ornatius laudare possit urbem Daventriam, eruditionis in Belgio matrem et conservatricem celeberrimam? At vero, inquietis, AA. HH., potuit Wassenberghius medio fere saeculo antecedente laeto animo Daventriensium Athenaeum ad sidera tollere; nam erant laetissima illa tempora, quibus Rhoerii successor orationem suam inauguralem coram frequenti studiosorum auditorio haberet.

Nec obloquor; sed quid mihi respondebitis Vobis citanti testimonia Eckii, altera huius scholae saecularia oratione patrio sermone conscripta celebrantis? Narrat vir clarissimus, pie semper Daventriensibus colendus, quum viginti post Wassenberghii inaugurationem annis huc commigrasset, unum modo in albo studiosorum nomen relatum ac duos professores munere pulsos fuisse [2]). Decem fere annis post vir egregius eundem miserum rerum statum iterum adspexit. Vidit, eheu, tandem Napoleonis decreto Athenaeo substitutam eiusmodi scholam, quam tum appellabant *secundariam*, aequiparandam fere (sunt ipsius Eckii verba) innumeris illis scholis Francicis in patria nostra, *instituta* vulgo audiunt, quibus, Di meliora, omnia fere divina atque humana, sed nihil recte pueri docentur [3]). Ter igitur vir venerabilis Athenaei nostri statum adspexit deteriorem etiam quam ea tempora, quibus senatus decretum anno praeterlapso ineunte deliciis nostris minabatur. Minabatur sane, sed non attigit. Ter una hominum aetate Athenaeum fere deletum fuit, et tamen potuit idem vir clarissimus, quum senex altera saecularia celebraret, gloriari et ex intimo pectore Deo gratias agere, quod numerus studiosorum iam maior esset, quam Wassenberghii aetate, imo per totum saeculum duodevicesimum fuisset.

Quae omnia ideo in memoriam Vestram revoco, AA. HH., non magis ad studia Vestra bonarum artium incitanda, quippe quae nullis incitamentis indigent, quam ut animus noster intimo erga Deum O. M. amoris sensu perfundatur, qui, prouti ipse summum pulchrum verum bonum est, ita

---

[1]) Feestrede, gehouden door Corn. Fransen van Eck, theol. doct. eiusdemque et litt. Belg. prof., na deszelfs dood uitgegeven en met aanteekeningen voorzien door P. Bosscha. Exstat in ann. acad. Gron. a. 1833.

[2]) Vid. Eckii Oratio p. 11.

[3]) Ib. p. 11.

nullis magis favet quam iis, quibus adolescentium ad pulchri veri bonique studia institutio curae est.

Quae quum ita sint, hoc solummodo, Viri amplissimi, quibus huius civitatis et illustris scholae cura egregie mandata est, mihi restat, ut Vobis gratum meum animum tester pro egregiis Vestris de memet ipso meritis. Quum per biennium provinciam in gymnasio Vestro mihi mandatam pro virili parte ita gessissem, ut officiis quidem satis fecisse mihi viderer, nec tamen ita excelluisse, ut ad maiorem spem adspirare auderem, placuit Vobis me eo tollere honore, ut pars quaedam dulcissimi literarum humaniorum in Athenaeo Vestro tradendarum muneris mihi quoque mandaretur. Quodsi dicam, novum ita quasi onus humeris meis impositum esse, partim verum, partim falsum loquar. Quid enim verius quam id onus dicere, ad quod sustinendum tenues ingenii vix vires sufficiant. Contra quid magis nos extollere valet et novas quasi vires addere, quam summorum, quales Vos estis, virorum bonae de me existimationis tantum accepisse testimonium?

Si me nondum experti essetis, longa sane oratio vix sufficeret ad Vobis significandum, quanta omnium virium intentione, pro ardenti meo erga bonas literas amore, ea studia in hac urbe promovere mihi propositum sit. Iam vero, si hoc modo professus ero, qualem me hucusque experti estis, talem etiam in posterum habituros, molesto sane vacabo labore, quo me ipse Vobis commendem, deque mea ipsius voluntate praedicem, quod etsi modeste fiat, levi tamen momento in quoddam gloriationis genus aberrare solet.

Quo autem animo, Rector magnifice et clarissimi huius illustris Scholae Professores, me hodie affectum censetis, quo mihi primo contingit Vos collegas compellare, quorum multis iam diu amicis uti consueveram. Quam laetissimam meae vitae fortunam unum modo est quod conturbat. Sentitis omnes, quid hoc sit, quod ita acerbissimum dolorem laeto huic animi sensui commisceat. Est desiderium amicissimi nostri van der Willigen, quod recens animos nostros invasit. At enim vero, quae post obitum Scipionis Laelius loquitur, liceat mihi transferre in eius causam, in qua minime de morte, sed de amoeniore vitae instituto agitur: me ipse consolor; nam nihil mali Willigeno nostro accidit; suis autem incommodis graviter angi non amicum, sed se ipsum amantis est.

At prouti is in omnibus vitae humanae fatis decursus est, ut tristia et laeta sese invicem excipiant, ita summo gaudio afficior, quod eum virum inter auditores meos conspicio, quem Curatores Senatusque collegam mihi dixerunt. Quidni, hanc opportunitatem nactus, me Tibi summopere commendem, amicissime Cornelissen, quem iam dulcissimum participem et comitem habeo ad ea studia, quorum ambo amore flagramus, in hac urbe promovenda!

Ultimo loco ad Vos me converto, dilectissimi huius Athenaei alumni! Non quod multa sint, quae Vobis anteponam, sed ut in fabulis gravissima quaeque momenta a poetis ad exitum asservari solent, ut spectatores hilares domum abeant, ita quod primum mihi est postremum in scenam produco. Nec tamen est quod multis Vos alloquar. Etenim si verum est, hominum animos nullo vinculo arctius contineri, quam veri honestique studio, pro deum fidem, nihil est, quod nos umquam divellat. Nam tales Vos omnes fere iam diu novi, quibus genuinus Musarum cultus prae omnibus cordi sit. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et Vobis honori, et amicis utilitati, et reipublicae emolumento esse possitis.

DIXI.

ORDO LECTIONUM

HABENDARUM

IN ILLUSTRI DAVENTRIAE ATHENAEO,

A. D. XXVII SEPT. A. CIƆIƆCCCLXIV USQUE AD FERIAS AESTIVAS A. CIƆIƆCCCLXV.

RECTORE MAGN. I. VAN VLOTEN.

I. VAN VLOTEN, *Theol. Doct., Litt. Neerland. et Hist. Patriae Professor, h. t. Rector Magnificus,* Historiam patriae tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora . . . . IX.

Grammaticam Litterasque Neerlandicas et praecepta Stili bene Neerlandici docebit diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII.

Exercitia oratoria et stilistica moderabitur die Lunae et Mercurii, hora . . . . I.

Grammaticam Gothicam et Grammaticam litterasque Anglo-saxonicas provectioribus tradet, horis cum auditoribus conveniendis.

Privatim explicare continuabit varia Litterarum Neerlandicarum specimina, hora auditoribus commoda.

Lectiones publicas habebit, tempore hiberno, hora et die postea indicandis.

Logicam docebit diebus Lunae et Martis, hora . . . . II.

P. BOSSCHA, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et Iur. Utriusq. Doct., Prof. honorarius,* Historiam recentiorem aut aliquam veterum literarum partem lubens desiderantibus explicabit, horis cum auditoribus conveniendis.

Praeterea lectiones publicas habebit de aliquo historiae capite.

I. DUYMAER VAN TWIST, *Iur. Rom. et Hodierni Doctor, Iur. Professor,* Institutiones Iustinianeas explicabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . X.

Historiam Iuris Romani tradet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . IX.

Ius Naturae exponet die Martis, hora . . . . IX.

die Veneris, hora . . . . X.

Encyclopaediam iurisprudentiae exponet diebus Martis et Veneris, hora . . . . XI.

Oeconomiae politicae principia tradet diebus Lunae et Mercurii, hora . . . . XII.

Selecta iuris mercatorii capita exponet hora auditoribus sibique commoda.

V. S. M. VAN DER WILLIGEN, *Math. Mag. Phil. Nat. Doct.*, *Matheseos et Physices Professor*, Elementa Geometriae docebit diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora matutina . . . . VIII.

Arithmeticam universalem, die Mercurii, hora . . . . IX.

die Iovis, hora . . . . VIII.

die Veneris, hora . . . . IX.

Physicam experimentalem diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora post meridiem . . . . I.

Calculum differentialem diebus Martis et Iovis, hora . . . . IX.

Mechanicam, quam applicatam vocant, die Veneris, hora . . X.

Publicas habebit lectiones de quodam argumento e physica experimentali desumto.

L. MULDER, *Math. Mag. Phil. Nat. Doct.*, *Botanices*, *Geologiae et Oeconomiae ruralis Professor*, Botanicen generalem:

a. Morphologiam plantarum docebit diebus Lunae et Mercurii, hora . . . . XII.

b. Anatomen et physiologiam plantarum diebus Lunae et Mercurii, hora . . . . XI.

Botanicen specialem (phytographiam plantarum et botanicem systematicam) exponet die Iovis, horis . . . . XI et XII.

Botanicen generalem et specialem provectioribus exponere perget die Martis, horis . . . . XI et XII.

Favente coeli temperie, cum discipulis excursiones botanicas moderabitur.

Pharmacognosin tradet diebus et horis auditoribus commodis.
Geologiae capita selecta tradere paratus est diebus et horis auditoribus, si adsunt, commodis.
Oeconomiam ruralem docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . X.
et Veneris, horis . . . . XI et XII.
Artem mercium dignoscendarum (Warenkennis) exponet diebus et horis cum auditoribus conveniendis.

E. I. KIEHL, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doct.*, *Litterarum Antiquarum Professor*, Sophoclis Antigonen, selecta ex Homero, Lysia, Theophrasto interpretabitur die Lunae, hora . . . . . . VIII.
die Iovis, hora . . . . X.
die Veneris, hora . . . . XI.
die Saturni, hora. . . . . VIII.
Ciceronis Brutum, selecta ex Tacito et Horatio, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora . . . . X.
Antiquitates Romanas tradet diebus Lunae, Martis et Iovis, hora . . . . XI.
et die Saturni, hora . . . . IX.
Historiam Romanam ab origine prioris triumviratus ad proelium Actiacum, diebus Lunae et Martis, hora . . . . . . IX.
die Mercurii, hora . . . . XI.
die Iovis, hora . . . . IX.

I. I. METZLAR, *Litt. Orient. et Antiquitatum Hebr. Prof. extraord.*, Linguae Hebr. elementa tradet, cum grammatica explicanda, tum analyticis exercitiis moderandis die Martis, hora . . . . . . I.
die Mercurii, hora . . . . II.
Librum *Exodus* inscriptum explicare perget die Mercurii, hora VIII et IX.
Antiquitates Hebraeorum exponet die Martis, hora . . . . . XI.
die Veneris, hora . . . . I et II.
Introductionem in V. F. libros tradet die Martis, hora . . . VIII et IX.
Locos quosdam selectos tractabit die Veneris, hora . . . . . VIII et IX.
Litterarum Arab. Chald. et Syriacarum initia docebit horis auditoribus commodis.

M. I. COP, *Math. Mag. Phil. Nat. Doct.*, Quantum pro novo suscepto munere licebit, Chemiae studiosos lubens adiuvabit.

S. SUSAN, *Litterarum Hodiernarum Lector*, Athenaei civium, qui Litteras Germanicas, Anglicas, Italicas et Gallicas sibi tradi cupient, desiderio lubens satisfaciet. Idem cum auditoribus de Shaksperii dramate *Hamlet* inscripto disseret.

Colloquia in linguis hodiernis moderabitur, hora auditoribus commoda.

Disciplinae mathematicae et physicae, litterae Neerlandicae et historia patriae, ceterae doctrinae, quae alumnis Athenaei linguae Latinae non peritis utiles esse possunt, sermone tradentur vernaculo.

Bibliotheca Athenaei unicuique patebit die Mercurii, hora . . . . I—IV.
et Saturni, horis . . . . XI—II.
feriarum autem tempore die Mercurii, horis . . . . . . II—IV.

Laboratorium chemicum, herbarium, apotheca mercium et museum physicum inspici possunt quotidie, exceptis horis quibus habentur lectiones.